DE

NICOLAI JOSEPHI SELISII

VITA ET SCRIPTIS

(1737-1802)

THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PROPONEBAT

J. DELFOUR

IN AMBIANENSI LYCEO STUDIIS PRÆFECTUS

AMBIANI

Ex Officina « Typographiæ Picardæ »

Via dicta Frédéric-Petit, 71

—

MDCCCCI

DE

NICOLAI JOSEPHI SELISII

VITA ET SCRIPTIS

(1737-1802)

DE

NICOLAI JOSEPHI SELISII

VITA ET SCRIPTIS

(1737-1802)

THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PROPONEBAT

J. DELFOUR

IN AMBIANENSI LYCEO STUDIIS PRÆFECTUS

AMBIANI

Ex Officina « Typographiæ Picardæ »

Via dicta Frédéric-Petit, 71

MDCCCCI

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO DOMINO DOMINO

A. MARQUET

IN AMBIANENSI APPELLATIONUM CURIA

Primo Præsidi,

Hoc Opusculum

D. D. D.

DE

NICOLAI JOSEPHI SELISII

VITA ET SCRIPTIS

PROOEMIUM

De Selisii vita et scriptis nondum quidem a quoquam tractatum esse videtur. Nec mirum. Quantacumque enim fuit hominis, qua vixit ætate, fama vel celebritas, hodie sive poetam, sive liberalium artium doctorem, sive gallicum Academicum attentius perpenderis, cum viri personam tum scriptoris opera minoris facies. Nonnulla vero ejusdem exstant scripta, quæ, quanquam artis miracula minime sunt, tamen hominum illius temporis mores ususque adeo miris depingunt coloribus, ut jam digna sint quæ clariorem in lucem proferantur. Hoc igitur studio, unde qui fuerit Selisius dignoscetur, ego hominem litterarum peritum, haud omnino ignobilem, sane subobscurum, ex immeritis educendum tenebris pro virili parte suscepi.

Selisius, licet temporum casus eum et gravibus rei publicæ rebus, et multis de civitate aut philosophia aut religione disputationibus, et privatis omnium generum negotiis immiscuerint, nec summus vir, neque heros, nec christianus quidem divus est; sed vir bonus et frugi, callidus et cultus, versutus et cordatus, is prorsus qui

excellenter universum quoddam hominum genus, egregium simul et mediocre, sane duodevicesimo sæculo frequentius nitidissimamque et honestissimam illius ævi speciem præbens, propria referat effigie.

Denique, ut paucis dicam, non modo plura sermone pedestri eleganter et facile scripta, verum etiam carmina rationis ingeniique et judicii plena nostrum ostendunt ejusmodi virum, qui, dum propriam augeret famam, sæculum suum una ornaret.

LIBER I

DE SELISII VITA

I. — Qua ratione Selisius educatus sit et quæ prima scribere tentaverit.

De Nicolao Josepho SELISIO puero pauca novimus. Cum Lutetiæ Parisiorum, ante diem quintum Kalendas Maias, anno post Christum millesimo septingentesimo trigesimo septimo, natus esset, mature a patre ad Montacutense collegium missus est, ubi liberalibus studiis erudiretur. Profecit autem adeo celeriter, ut maximam parentum de filio opinionem optime comprobaverit; adeoque doctrinarum successibus et præmiis inclaruit, ut jam Universitati portenderetur, eum insignem fore virum, quem olim magno perfusa gaudio suum forte habitura esset.

Gratuito igitur educatus in antiquo illo Montacutensi collegio, ubi omnia esse acuta vulgo dicebantur :

Mons acutus, ingenium acutum, dentes acuti,

atque a peritissimis informatus magistris, ipse veterum opera cognoscendo, quorum studio nihil prius habebat, doctior evasit. Carmina præsertim antiqua libentissime legebat adulescens, unde insulsas omnis generis nugas despicere didicit, quibus recentiorum litterarum exemplaria tunc temporis redundabant : quæ, vix unum victura diem, et moribus et judicio nocentissima, innumeris istis voracibus bestiolis similia esse credas, quæ vastato in litore pereunt jacentque, nihil aliud linquentes nisi sterilem tabem et pestilentiam.

Postquam e ludo egressus est, optima religionis præcepta ibi accepta SELISIUS servavit. Immo sacros adire ordines paulum modo voluit, cumque clericus ordinatus esset, abbatis titulum vestemque aliquantisper gessit.

Anno circiter millesimo septingentesimo quinquagesimo nono, fortunis carens, parvulos discipulos prima litterarum elementa pro magistro docendi munus in Bellovacensi collegio, Lutetiæ Parisiorum, accipere coactus est. In hac quidem inclita domo venerandus ille auctor ejus libri, qui *Traité des Etudes* inscribitur, jam pueris instituendis senectutem lætus impertiverat, atque etiam, si foret opus, tironi nostro in mentem venire poterat Bossuetius, palmis oneratus oratoriis, parvulos diœcesis suæ pueros ad se accedere sinens catechizandi gratia. Sed nec candor aut pietas, unde Rollinus, scilicet magister præstantissimus, paternas hauriebat voluptates, neque euangelica simplicitas, qua impulsus Bossuetius e summis ingenii verticibus ad humiles primæ ætatis exercitationes descendebat, juveniles sunt inclinationes aut virtutes discipulo solitæ. Fastidiosa igitur plura Selisio fuerunt atque amara plura in istud intranti curriculum, ubi paucissima erant quæ cum splendida litterarum laude jam ab eo concepta sperataque congruerent.

Favente autem fortuna, ibidem cum Thomas, qui jam annum bienniumve prius aderat, et cum Delille, qui paulo post supervenit, eam totius vitæ amicitiam inivit, quod munus est divinitus virtuti concessum.

Quamvis temere ac fortuito eo convenissent, tres illi juvenes continuo quasi trias individua facti sunt. Eos enim omnia natura conjungebant : ætates æquæ aut fere pares, eædem indoles, par laudis amor, acutissimus ingenii stimulus futurarum sibi rerum conscii et providi, idem præsertim antiquitatis cultus cum ardentissima religionis fide consociatus. Quod si Rollini virtutes recordemur, quo in viro præcipue inerat christianum judicium cum ingenti rerum antiquarum studio junctum, scilicet aptissima, pace tua dixerim, Vergilii et Euangelii concordia, haud immerito contendamus in Bellovacense collegium quasi confugisse commune duodevicesimi sæculi judicium, quo philosophiam in se invadentem tutius propulsaret.

Cum autem in idem collegium venerunt Delille et Selisius, tum Thomas, quinque sexve annis major, jam litterarum initium fecerat, qui multas in poeticis certaminibus coronas merito retulerat.

Quo a magistro jam perito et pulchri amantissimo vehementer commoti, DELILLE et SELISIUS tædia rebus merito suo inferioribus docendis concepta fefellerunt, ubi solita poetice scribendi voluptate perfusi sunt[1]. Immo dilecto magistro æmulatus est DELILLE, qui, dum THOMAS ob suam *Epître au Peuple* poeticæ palmæ proximus accedit, ipse posterior accessit. Tunc, poetam unice amatum cogitatione complexus, Vergilii *Georgica* versibus gallicis transferre cœpit, quæ prima ei futuræ erant laudis initia. SELISIUS vero se ad componendum opus dedidit, quod ingenuam ei fuisse indolem et religiosos affectus et poeticas inclinationes simul testatur. Illud autem primum SELISII opus hoc signatur titulo : *L'Armée romaine sauvée par les prières de la Légion fulminante*. Nempe in Bellovacensi collegio nullus peribat otio dies.

Insequente anno (MDCCLXI), SELISIUS, eodem ductus animo quo religionis christianæ miracula cecinerat, immo naturali quodam satiræ studio accensus, sacra Christianorum dogmata ab incredulorum injuriis tuenda suscepit. Is enim, ut ille comicus ALCESTES, probus in pravorum hominum cœtu vagans, quanquam excellentium ætatis suæ scriptorum ingenia miratur, cæcas tamen eorum mentes miserans, in periculosam istam novarum falsarumque rerum congeriem, quas in vulgus spargere connituntur, maximo invehitur impetu. Inde alterum opus, cui novus sane fuit titulus, scilicet *l'Inoculation du bon sens*.

Cum autem hic libellus, in quo scriptor VOLTARIUM latenter insectatus erat, faustum obtigisset exitum, audacior factus juvenis philosophorum principem palam petere sustinuit. Duos igitur libellos rursus edidit, quorum alteri titulus fuit *Relation de la maladie, confession et fin de Voltaire*, alteri *Testament de M. de Voltaire* ; nec audaciæ eventus defuit ; fama enim scriptoris adhuc aucta est.

1. DELILLE, in oratione sollemni quam habuit postquam in Academiam gallicam cooptatus est, disertum magnorum virorum laudatorem præsentem approbans, carissimum popularem suum THOMAS declarat primum fuisse qui carminum studium communisque patriæ honorandæ cupiditatem sibi in mentem injecerit.

II. — De Selisio in Ambianensi collegio professore.

Opera illa, in quibus ingenua sententiarum gravitas, numerosa orationis concinnitas, fecunda fingendi facultas veterum alumnum ignorari vetat, prima tantum SELISII pericula erant. Quid autem ex eo tirocinio exspectandum erat, quo et poeta et litterarum doctor præsagiretur !

Itaque ab Universitate, quæ meritum ejus mature senserat, anno MDCCLXII, in collegio Ambianensi, in urbe ejusdem nominis sito, professor designatus est. Tunc temporis, cum illud LUDOVICI XV decretum, quo Jesuitæ toto regno abolebantur, omnia fere collegia vacua simul fecisset, in plerisque civitatibus necesse fuit, professoribus illis regularibus clerici vel laici alii propere sufficerentur, qui quidem, illud fatendum est, muneris magnitudini doctrinam non semper æquaverunt. ROLLANDUS tamen præses, in sua ad Curias congregatas *Relatione*, quam viginti post annis protulit, tria laudat collegia, in quibus a primis expulsionis temporibus eximii meriti professores numerarentur, verbi gratia Ambianense collegium. Laudat et DELILLE abbatem et SELISIUM et CABOCHE, quorum opera collegium in pristino fastigio perstitisse asseverat.

Illud quoque animadvertere expedit, Ambianensem curiam, appropinquante die a senatu Parisiensi dicta, consuluisse ut collegium redintegraretur magistrique indagarentur sæculares. Quamobrem pridie Kalendarum Aprilium, anno MDCCLXII, cum nondum ita multos professores comparare potuisset, ut omnes implerentur cathedræ, numero novem (humanitatum, philosophiæ, theologiæ), MORGAN quendam, Ambiani causidicum, ad Universitatem Parisiensem, magistros impetrandi causa, delegavit. Postquam res feliciter gesta est, DELILLE et SELISIUS, collegio Bellovacensi ablati, Ambianum venerunt, prior Secundæ classi, posterior Tertiæ præfuturus [1].

Uterque mille ducentas libras hospitiumque mercedem accipiebat. Quæ si non erant divitiæ, ut SELISIUS ad BACULARD D'ARNAUD scribebat [2], at saltem, ut toties dictum est, thesau-

1. Cf. *Archives de la ville d'Amiens*, B. B, 86.

2. Epistula Kalendis Maiis anni MDCCLXII data (vide *Documents inédits concernant la Picardie, publiés par Victor de Beauvillé*, t. IV, p. 608. — *Paris, Imprimerie Nationale*, 1881).

rus est amicus. Ceterum multum aberat, et illud addidit Selisius, ut Lutetiæ valedixissent. Nam quo tutius eo, invita fortuna, redirent, inde abierant.

Ambiani autem ambo amici primo probris et insectationibus occultis excepti sunt. Picardi enim, ut est eorum fama, libere loqui solent ; sed apud eos illud vitium fit, quia illepidi sunt [1]. Sed octo post mensibus, Ambianorum erga nostros mentes longe mutatæ erant ; nam Selisius eidem scribebat : « *On nous fête beaucoup ici, on nous recherche, on nous pardonne enfin de succéder aux jésuites, et nous sommes tout étonnés d'être à la mode* » [2].

Docere enim cœperunt fere ante oculos illorum Jesuitarum, quibus succedebant et quorum latine versificandi artificia totque descriptiones ingeniose διδασκαλικὰς in gallicum sermonem illaturi erant. Ceterum Rapinus, Vanerius, tam rebus tractatis quam tractandi ratione, eorum magistri fuisse videntur : inest quoque Patris Sautelli aliquid in Delille et Selisio.

At Ambianensis collegii discipulis quam felix faustumque tempus, tum cum Delille et Selisio professoribus utebantur ! Ferunt eos memori animo indulgentes, hunc contraxisse morem, ut alba creta illos dies notarent oblivionis expertes, quibus poetas suos, Homeri et Vergilii lectione incensos, ad summam maximorum exemplarium mirationem escendentes aspexissent. Quam desiderandum, nihil conspicui de optima illorum disciplina docendique facultate ætatis suæ memoria nobis traditum esse [3] !

Hic, in hoc novo collegio mirum in modum instaurato, ambo amici nostri, semper conjunctissimi, syntaxis leges rudimentumque præcipiendi necessitatem poetica solabantur : aliquanto posterius, liberiori altiorique disciplinæ Musarum labores admiscebunt.

Prior discessit Delille, qui, post sollemne liberalium artium certamen, mense octobri, anno MDCCLXVI actum, cum in magistrorum ordinem aggregatus esset, Lutetiam revocatus atque in collegio Marchiensi Tertiæ classi publice præpositus est.

1. Cf. De Beauvillé, *op. cit.*, p. 208.
2. Epistula a. d. III Nonas Januarias anni MDCCLXIII data (*ibidem*, p. 609).
3. Exstat Delille abbatis oratio in sollemni præmiorum distributione habita, anno MDCCLXVI, in qua *de Educatione* disserit. — Cf. Delille (edidit Tissot), in calce x vol.

Postquam autem Delille Ambiano profectus est, ei Selisius in Secundæ classis cathedra successit ; ac duobus post annis, ex ejusdem Delille commendatione, cujus amicitia erga nostrum perseveraverat, in cathedram Rhetoricæ classis ascendit, Vassorem excipiens. Hic ordinis progressus eodem in loco factus ostendit quanti existimarentur ejus artes et diligentia circa educandos eos, qui ei commissi erant, dicipulos.

Hi sane ut proficerent tanto opere studebat, ut de eorum agendi aut laborandi ratione durissimum se præstaret. Immo, ea de re, severitatis modum excedebat. Ita, quadam die, ei accidit ut in suam Tertiam classem miserum discipulum, nomine Racinium, recipere noluerit, quod decem fere dies afuisset. Frustra collegii moderator Selisio explanavit puerum minime peccasse, domi enim morbo retentum, sicut parentes testarentur ; re ita se habente, in classem natura recipiendum, non autem studiorum anno frustrandum : nihil audivit præceptor, qui discipulum in Quarta classe linquere perstitit.

De hoc negotio, habito administratorum concilio, decretum est professori jam dictum Racinium in classem suam recipiendum, postquam excusationes ei congruenter allatæ essent ; quod si Selisius magister discipulo aditu interdicere perstaret, causas esse ad proximum concilium deducendas.

Proinde Selisius in Nonas Maias insequentes, anni MDCCLXIII, convocatus est. Die dicto, concilium a quarta et dimidia hora usque ad sextam consedit, nec Selisius convenire dignatus est. Duodecimo ante Kalendas Junias, iterum convocatus, tandem prodiit, se non adfuisse excusans, quod in horto collegii diu deambulavisset, ea mente aliquem ad se monendi gratia venturum fuisse. Sed cum addidisset se nihilominus concilii jurisdictioni libenter esse subjectum, judices et se allegatis causis contentos declaraverunt, atque adulescentulo in suam Tertiam classem redire licuit [1].

Eloquentiæ vero professor, Selisius magnam famam paravit ac qualibet laude dignissimus fuit. Latinam poesim pari successu colebat, ut qui et conformatione lepida et splendidis figuris et sententiis nobilibus strophas ornare sciret, quibus

1 Cf. *Archives Départementales*, D. 3. (Registre des délibérations du Bureau d'administration).

Santolii, inclitissimi poetæ, recentior latinitas nonnihil repræsentatur. Poetici ejus ingenii testimonio, Latinum carmen memorabimus de Machault sacerdoti compositum, qui Ambiani, anno mdcclxxii, coepiscopus creatus erat. Hi versiculi, Ambianensis collegii sumptu impressi, licet Rhetoricæ discipulo, nomine Magniez, imputati fuerint, cum ingenium significent adulescentis ætate superius, nimirum Selisii opus sunt, ut fit in tali tempore. Ceterum ex elata faustaque comparandi facultate magister sæpius agnoscitur. Vide, exempli gratia, hanc stropham :

Sic, ubi fulgens Eliam volatu
Currus ad cælum rapit insolenti,
Igneo frustra populi sequuntur
Aere Patrem [1].

Ut Rhetoricæ professori, Selisio mandari solebat ut, per alternas vices cum Secundæ et Tertiæ classis professoribus, exercitationem præpararet, quæ ex lege ante sollemnem præmiorum distributionem semper agebatur. In hac exercitatione duo tresve omnium classium discipuli eos auctores, sive oratores sive poetas, explicabant, qui vertente anno inspecti fuerant. Interrogantibus respondebant atque ex memoria seu prosæ seu poeticæ locos exponebant, ex optimis excerptos scriptoribus affinesque electis partibus oratorum vel poetarum vel historicorum de quibus exercebantur. Quod autem fuerit argumentum exercitationis, anno mdcclxxii, a Selisio magistro destinatæ, quidve in vulgus irrepserit de hujus exercitationis destinatione vel de rebus in ea tractandis, illud quidem latet. Constat tamen, in concilio a. d. vi. Idus Augustas habito, Lalau et Houzé magistros, a dicta administrationis Mensa, scripto detulisse se a collegii moderatore Rhetoricæ exercitationis communicationem requisivisse, ut per se ipsi certiores fierent num verum esset quod ex rumore publico audiissent ; seque, perpensa re, agnovisse exercitationis ejus, de qua ageretur, argumento et summa, præsertim aliquot locis ubi animi perturbationes enuclearentur, omnium pectora mentesque, magis etiam discipulorum quam ceterorum audientium, periculose commotum iri. Ea delatione cognita,

1. Cf. *Archives de la Somme*, a. d. iii Idus Apr. mdcclxxii.

Mensa statuit deliberavitque istam exercitationem non actum iri, præmiorumque distributioni usque ad contionem de reditu habendam dilationem fore [1].

Quicumque autem SELISIUM atque ejus religiosos affectus curasque illas assidue probatas noverat, quibus juventutem informabat, quam diligentiam Tabulæ publicæ, gallice dictæ *les Affiches*, a. d. III Idus Apriles adhuc testabantur, ei maxime mira crimina ista visa fuisse fatendum est : « nimiam profecto fuisse magistrorum LALAU et HOUZÉ sedulitatem, qui veri similiter injuria judicavissent ». Cumque his ipsis diebus abesset SELISIUS, nullo pacto defendere se potuerat. Sed a. d. XII Kal.Decembr. insequentes, administrationis Mensa rursus convocata, statutum deliberatumque est « litum iri a. d. VI Idus Augustas actum, quod ad exercitationem ab eloquentiæ professore destinatam spectaret, habita ratione eorum quæ modo enodate dixerit neque olim dicere potuerit, quod abesset » [2]. Injuriam vero sibi illatam SELISIUS non oblitus, immo ultus est, ut infra videbimus.

Per intermissiones docendi, SELISIUS Ambiani jucundis implicatus erat familiaritatibus. Præterea, quæ illi a discipulis otia linquebantur, ea scribendis consumebat opusculis, per quæ ingenium ejus crescere perseverabat.

Vixdum collocatus in hac nova patria, ubi undecim annos (a MDCCLXII° ad MDCCLXXIII^um) traducturus erat, nulla fere mora fuerat quin ad GRESSETIUM epistulam versibus conscriptam mitteret, ut eum ad stilum rursus prehendendum hortaretur. Hac epistula ceterisque operibus jam publicatis non mera tantum incitamenta, sed etiam laudes a comissimo *Ver-Vert* carminis et *Le Méchant* comœdiæ auctore meritas sibi peperit.

Aliquot enim anni effluxerant, ex quo GRESSETIUS, post splendidos litterarum successus quibus addita erat in Academiam gallicam cooptatio (an. MDCCXLVIII), Ambianum, in urbem patriam secesserat. Ibi, carissimis circumdatus municipibus suis, qui ei tanquam aululam conficiebant, placidus vivebat, semper bene mereri paratus, juventuti præcipue benevolus.

1. Cf. *Archives Départementales*, D. 3.
2. Vide lituram in Codice (*Arch. Dép.*, D. 3.), a. d. XII Kal. Decembr. notatam.

Sed deinceps ingenium ejus notabiliter inclinatum nihil jam egregii tulit. Parumper tamen ad notitiam rursus rediit, quo eventu facile caruisset : illud insigni suæ *Lettre sur la comédie* debebat, in qua *urbi et orbi* nuntiabat sibi certum obstinatumque esse jam nihil scænæ scribere.

Annus igitur MDCCLXII, quo primum SELISIUS GRESSETIUM novit, tertius erat ex quo hic, christiana humilitate damnationisque metu, cunctas comœdias nugasque versibus a se mandatas retractaverat, poeticam tanquam periculosam artem sollemniter detestans. Jam VOLTARIUM Encyclopædiæque scriptores impietate desipere existimans, quasi omnia evertere, omnia corrumpere vellent, arguebat. VOLTARIUS quoque, GRESSETII epistula exacerbatus, quæ anno post illam *Lettre de Rousseau à d'Alembert sur les spectacles* superveniebat, ei non semper parcebat. — « *Et ce polisson de Gresset, qu'en dirons-nous ? Quel fat orgueilleux ! Quel plat fanatique* » *!* Sic tunc exclamabat, antequam acutissima illa tela, in libello *Le pauvre Diable* sparsa, in eum injiceret.

Commune VOLTARII philosophorumque odium GRESSETIO SELISIUM propius admovere natura debebat. Itaque hic in ea villa suburbana festive accipiebatur, quo GRESSETIUS secesserat, uxori tantum perpaucisque amicis vivens, quibuscum familiarissime versabatur.

In hoc potissimum cœtu intimorum, qui omnes GRESSETIUM, ut laudem suam continuaret, vehementissime hortabantur, apparet SELISIUS, adhuc juvenis, DELILLE amico ad latus assidente, poetam vix quinquaginta annorum amicis verbis increpans, ut, ignobili valedicens otio, non se rude donatum censeret, sed ad insignia Musarum certamina propere reverteretur.

Cum autem per intimam illam cum patrefamilias necessitudinem SELISIO puellam cognoscere licuisset, quæ GRESSETII nepticula erat cujusque egregias dotes existimaverat, — quamvis antea MORGAN causidici filiam tanto prosequeretur amore [1], ut immature mortuam postea publice laudaturus esset [2], — alteram hanc virginem in matrimonium petitam uxorem duxit.

1. Cf. Perroud, *Lettres de Madame Roland*, t. I, p. 269, note 1. (Paris, Imprimerie nationale, 1900).
2. *Ibid.* Epistula data. a. d. VII Kal. Sept. anni MDCCLXXXIII.

Hæc affinitas, ingenium lepidum, pura ornataque oratio, aliud SELISIO decus brevi pepererunt, quod tunc temporis, ut hodie adhuc, multum appetebatur, hoc est in Academiam Ambianensem cooptari. GRESSETIUS autem hujus corporis caput erat. Cum enim inter præcipua membra fuisset pristinæ Societatis, quæ a XIV sæculo sub nomine *Podii Nostræ Dominæ* constituta fuerat, atque operam navasset ut ea, anno MDCCL, *Academiæ Scientiarum, Litterarum et Artium* titulum impetraret, ipse, eodem anno, perpetuus ejus præses publice nominatus est. Hunc quidem honorem, qui prioris Societatis præsidem offenderat, modeste deprecatus est; sed non minus popularibus in oculis fuit, mensque mansit Academiam agitans.

Academicorum quoque numerum augendum curabat. Itaque, cum DELILLE modo, anno MDCCLXIX, *Georgica* gallice versa publicasset, GRESSETIUS ei successum gratulatus est, absentemque in Cœtum conscripsit: cujus felicis delectus auctor certe laudandus est (anno MDCCLXX). Eodem anno et SELISIUM ascivit, MARTEAU cuidam, medicinæ doctori, a. d. XII Kal. Maias mortuo successurum.

A. d. VIII Kal. Sept., SELISIUS gratias agendi causa orationem habuit, in qua *de Luxus incommodis* disseruit, atque *Epistulam « en vers à un poète sifflé »* recitando concilium conclusit. Hæc prelo non subjecta est, neque ulla Epistulæ aut Orationis memoria in privatis Academiæ *Tabulis* seu *Codicibus* exstat.

SELISIUS Academiæ laboribus multam operam impertivit, sive eorum esset quibus mandaretur ut relationes de eloquentiæ vel poeticæ certaminibus scriberent, sive in publicis conciliis auctoris titulo interesset. A. d. VIII Kal. Sept. anni MDCCLXXI, aliam quoque epistulam recitavit. In eodem consessu, et GRESSETIUS recitationem habuit poematis hactenus inediti, inscripti *Le Gazetin*, in quo omnino reperiuntur et ingeniosæ carminis *Ver-Vert* suavitates et philosophica epistulæ *La Chartreuse* vehementia [1]. SELISII vero epistulæ titulus est *Epître sur les Pédans de société*; dedicatio RIGOUMIER abbati, Parisiensis theologiæ Facultatis syndico, qui prima nominis littera tantum designatur. Ceterum pluribus aliis viris allu-

1. Cf. *Affiches de Picardie*, pridie Kal. Septembr. anni MDCCLXXI.

ditur, quorum nomina latentia si quis detegere velit, multa indaganda sint, reapse parum utiliter.

Jam quartum annum SELISIUS Rhetoricæ Ambianensis collegii classi præerat, cum sua poeticæ et satiræ studia, magis quam consilium discipulis operam navandi (nam hic auctor in scholis parum explicabatur), eum impulerunt ut Persium prosa transferendum susciperet, cui operi diligentissime se dedit. Non quod Persius nondum antea, nec semel, seu pedestri sermone seu versibus translatus esset; sed omnes eæ translationes, præterquam antiquissimæ erant pleræque nec a litteratis cœtibus magni fiebant, minime sufficientes etiamque parum fidæ SELISIO videbantur.

Attamen, cum nulla eum falleret talis poetæ traducendi difficultas, postquam omnes Persii satiras convertit, easdem non omnes initio, sed primam tantum cum Prologo publicavit. Conversionem enim suam jam politam sine ullo intermissu perpoliebat, nedum absolute perfectam arbitraretur. Ceteroqui noverat duas Persii translationes solidas actutum exituras, alteram abbatis LEMONNIER, alteram cujusdam DREUX DU RADIER. Itaque, opus suum totum emissurus, quid sentirent homines eo de studio prius compertum habere voluit, ut sciret adhuc sibi laborandum esset an cessandum. In præfatione ipse peropportune dicit antiqui moris fuisse ut auctores congregatis amicis opera sua recitarent, tum certos fuisse plausus, neque illud exolevisse.

Ejusmodi autem approbatio ei minime defuit. Continuo enim critici [1] censuerunt omnibus illi periculo plaudendum, auctoremque hortandum esse, ut tam fauste inceptum perficeret, atque in eum hunc Ovidii versum conferebant:

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.

III. — De Selisio in collegio Ludovici Magni eloquentiam profitente.

Ex illis quidem opusculis præsertimque Persii prologi et primæ satiræ translatione constiterat SELISIUM, quamvis ei nonnulla sane defuerint, laudandum litteratorem, scriptorem

1. Cf. *Mémoires de Trévoux*, decembri mense MDCCLXXII.

ornatum, ingeniosum interpretem, prudentemque veterum admiratorem fuisse. Propter omnes eas artes, quibus addita est magna hujus DELILLE amicitia, cujus ab oculis nunquam afuit, Lutetiam brevi et ipse revocatus est. A. d. VI Kal. Oct. anni MDCCLXXIII, abdicata eloquentiæ cathedra in collegio Ambianensi, in qua ab abbate GORIN exceptus est, eodem munere in amplissimo LUDOVICI MAGNI collegio functurus abiit.

Ibi suum latini poetæ studium non eum defecit. Immo incitatus laudibus a litterarum peritissimis criticis nuperrime acceptis, SELISIUS summam manum operi imposuit cunctasque Persii satiras a se conversas, secundo post anno (MDCCLXXV) publicavit. Multas notulas pro commentario addidit. Interea autem abbatis LEMONNIER atque æmuli ejus DREUX DU RADIER translationes editæ fuerant. SELISIUS iis usus est: non quod suam superarent, immo inferiores erant; sed quia vel in pessimo aliquid boni inesse potest.

Superiorum igitur peccata cum facile vitavisset, SELISIUS rursus insignes ab ipso LA HARPE [1] laudes accepit, quibus elatus et illius gratulationes appetivit, qui litteris leges præcipue imponebat, qui in omnium opinionibus tanquam rex vere dominabatur, quem penes erat in Gallia sapiendi arbitrium, scilicet VOLTARII. Sed quo pacto eum adiret hominem, adversus quem olim infense pugnaverat? Quapropter ad comitem D'ARGENTAL confugit, qui peculiariter amicus VOLTARIO in privatis rebus omnibus conscius erat, rogavitque ut se operaque sua philosophorum duci commendaret. Libentissime comes eo funere functus, nec semel de SELISIO ad VOLTARIUM benevolentissime locutus est, quod quidem VOLTARII responsis comprobatur [2].

Missis addidit SELISIUS litteras unumque plurave carmina, veri similiter illa *Pièces sur différens sujets* quæ nuperrime publicarat. Missa, a. d. XV Kal. Maias data, ad VOLTARIUM, in Ferinensem villam, a quodam GOBELINORUM pictore allata sunt. Maio mense ejusdem anni, VOLTARIUS SELISIO litteris respondit honorificentissimis [3]: ut *Relatione* tum offensus esset, cum ei missa est, tamen fatendum est eum iracundia usum esse brevissima.

1. Cf. *Cours de Littérature*, ed. POURRAT, t. II, c. IX, IIª pars, p. 307-308.
2 Cf. Epistulas pridie Non. Febr. et a. d. XIV Kal. Martias datas anni MDCCLXXVII.
3. Cf. Voltaire, *Œuvres compl.*, ed. DIDOT, vol. XII; maio mense anni MDCCLXXVII.

Non omnibus tamen placuit SELISII translatio, quæ odium aut invidiam concitavit unius ex interpretibus æmulis, scilicet abbatis LEMONNIER. Fuere igitur inter ambos Persii interpretes epistularum commercia, earumque satis vehementium et longis paululumque putidis disputationibus refertarum, quæ prelo subjectæ sunt atque appellatæ *La petite Guerre entre M. l'abbé Lemonnier et M. Sélis*. Id opusculum anno MDCCLXXVII exiit cum his titulo subscriptis: « *pour l'amusement de ceux qui aiment encore les auteurs latins* ».

Bellum quidem inter sinceros litterarum amicos mera laudis æmulatio esse debet. Sed ab abbatis LEMONNIER parte, fuit admodum nimia acerbitas jactantiaque. SELISIUS vero æquiorem se præstitit. Urbanius quoque certavit; ita ut cuivis ad utilissimam, sed difficillimam artem criticam accedenti tanquam exemplar designari possit.

Anno MDCCLXXXIII, SELISIUS novam defendendi carissimi poetæ sui occasionem nactus est. Etenim Johannes DUSSAULX nuper de latinis satiricis disputationem publicarat [1], in qua Persium, æquitatis titulo passim laudatum, malignis persecutus erat vituperationibus. SELISIUS igitur, sua illius auctoris translatione ejusdem famæ, ut ipse inquiebat, quasi consors factus, confestim reclamavit aliam edendo disputationem, cujus in fronte, pro insigni sententia, hoc Martialis hemistichium præponit:

..... Libro memoratur Persius uno [2].

De illa sic a SELISIO prolata sententia sæpe postea disputatum est, neque jam Persius eadem fama hodie floret, quam olim. Interpretatio vero ejus optima illius ætatis, una cum abbatis LEMONNIER translatione, diu habita est. Cumque, anno MDCCCXXII, de Persio rursus publicando actum est [3], tum SELISII versio adhuc electa.

Quamvis res tam feliciter ei cessisset, SELISIUS nullum jam alium poetam gallice vertendum suscepit. Nam Ovidii interpres appellari non potest, quod, editore quodam rogitante, centum

1. Gallice *Mémoire sur les Satyriques latins*, in collectis Academiæ Inscriptionum *Commentariis*.
2. Lib. IV, Epigr. XXIX; v. 7.
3. Parisiis, apud DALIBONEM, in-8. Editore ACHAINTRE.

nonaginta tres *Metamorphoseon* versus transtulerit, in quibus de *Narcissi casu* agitur [1].

Eodem fere tempore quo Persii satirarum conversio perficiebatur, SELISIUS cum Musis gallicis lepide rationem habebat. Jam ex decem circiter annis in Urbe edebatur annuus liber in quo collecti erant poetici lusus maxime conspicui, ab æqualibus compositi, scilicet cum a VOLTARIO tum ab auctoribus sane laudandis, sed fama brevi, quorum nomina jam in perpetuum pæne evanuerunt : *l'Almanach des Muses* dixi. In volumine anni MDCCLXXV primum editæ sunt SELISII familiarissimique ejus amici DELILLE chartulæ : quarum septem, octoginta fere versus continentes, merito inter se longe dispares, a SELISIO datæ. Unam autem ex iis res adeo graves consecutæ sunt, ut non aliquot saltem versus hic citare nequaquam possimus :

> Maître *Houzey*, consumé d'un beau zèle,
> Chante l'office, assiste à maint sermon,
> Lit A'Kempis et vaque à l'oraison,
> Et voire même, on dit qu'il se flagelle.
> . . . .
> Eh ! maugrebleu ! quoiqu'on te canonise,
> Petit dévôt, tout ce dehors est feint ;
> Sois humble et doux, et vas moins à l'Église :
> Sois honnête homme, avant que d'être saint.

Statim ut exiit mordacissimum illud epigramma, Ambiani rumor ortus est, ubi ejus HOUZÉ, quem petitum esse merito crediderunt, nomen et personam omnes noverant. Tota urbe parumper tumultus fieri. Turba fuit turpior quam quæ unquam Ambianensi memoria tradita fuerit, tantusque increpuit strepitus, ut procul dubio multa inde odia expergefierent atque ultricia municipalium ministrorum fulmina excitarentur. Nullius quidem notitiæ forte res fuisset, si quam auctor imaginem depingere voluerat, eam falso nomine signasset ; sed magistri HOUZÉ nomen, quanquam litteris leviter mutatum, totum ibi patebat [2].

1. Ovid. *Metam.* III, v. 318-511 : « *Forte memorant...* ».
2. Hæc disputatio VOLTARIUM memorat in comœdia inscripta *l'Écossaise*, pro nomine FRÉRON, FRÉLON nomine utentem. « *Toutes les fois,* inquit, *qu'on fait le portrait d'un homme ridicule, il se trouve toujours quelqu'un qui lui ressemble* ».

HOUZÉ DE CAVILLON, Ambiani natus, cui Pater DAIRE in sua Litterarum historia locum fecit, ampliorem sane vitæ condicionem obtinebat, ut qui tributorum esset exactor; sed munium publicorum tædia liberales artes colendo levabat. Itaque, cum fuisset ex primis Societatis litterariæ anno MDCCXLVI constitutæ, a. d. IV Id. Nov. ejusdem anni honorifico munere functus erat salutandi, in nomine illius Cœtus, ducissam DE CHAULNES, Ambianensis præfecti uxorem, in novam civitatem suam primum ingredientem : quam gratulationem ea de causa ab illo scriptam DAIRE Pater ait a VOLTARIO comprobatione dignam habitam esse, a philosopho videlicet benevolentiæ hilaritatisque momento utente.

In Ambianensem quoque Academiam publice approbatam HOUZÉ ascitus est, cujus etiam suo tempore rector fuit; sed ejus fama Ambiani suburbanum nunquam excesserat. Itaque Lutetiæ quidem SELISII aggressio prætervolavisset. Ambiani vero benignior aliquis amicus, crimine ipso revelato vulgatoque, discordiæ faces accendit.

Mordacissima enim satira erat. Non quod imago a SELISIO picta ei quam DAIRE Pater de magistro HOUZÉ tradidit simillima sit : nam hic pietate modesta, cum bene merendi studio conjuncta, optimus vir et vere christianus eminet. Sed tributorum collector religionem devotissime colebat exercebatque. Qui igitur eum petebat, idem omnes ejus imitatores aggrediebatur. Quemadmodum ubique gentium, sic Ambiani jam tunc temporis erant et pii et increduli, gravissimis dissensionibus divisi, quæ dissensiones ex suppresso Jesuitarum collegio pejus etiam creverant; ita ut haud parvo steterit illi MORGAN, causidico et scabino, novum collegium, anno MDCCLXI, constituendum ac cum Universitate consociandum diligentius æquo curavisse. Quamvis igitur plus decem anni ex ea re effluxissent, invidiam in illum incitatam tempus nondum sedaverat : adeo multi infensique ii erant, qui potentissimæ illi congregationi favebant. Quique olim, ante infaustum illud munus, causidicus fuerat in plurimas res intentus maximeque omnium in labore versatus, Johannes B. F. MORGAN, licet episcopi DE LAMOTTE bona opinione et fiducia semper frueretur, clientelas pauciores fieri fortunasque, in uno Studiorum proventu positas, dilabi paulatim viderat...

Non tanti erant SELISIO publicæ istæ dissensiones : una

causa, quare calamus ejus illi HOUZÉ infensus factus esset, ira omnino privata erat.

Creato novo collegio, in numerum notabilium civium, qui una cum episcopo et magistratibus administrationi ejus consulere debebant, ascitus erat. Apparet autem accidisse ut sæpius administrator ille SELISIUM, tunc in collegio litteras profitentem, de pluribus haud rite factis reprehendere jussus sit [1]. At vaga est insimulatio ista nec quæ, quamvis in juvenem professorem cadat, nullis aliis rebus allegatis, sic recipienda sit; nam potius religioni studebat SELISIUS et jam connubio, nisi forte prius actum erat, obstringere se parabat.

Num vero alludebatur liti de RACINIO intentæ, scilicet de illo discipulo quem SELISIUS, quod aliquot dies morbi causa afuisset, in classem recipere noluerat? In ea re profecto quidem SELISIUS, præsertim cum bis convocatus ad Mensam non adiisset, indolem voluntatis tenacissimam ostenderat. Sed quid aliud, nisi ad summum decoris oblivio? Ceterum SELISIUS rem explicaverat Mensaque explicantis excusationes acceperat.

Alio tempore, anno MDCCLXIX, cum de cooptandis Universitatis professoribus publice certaretur, cujus certaminis particeps erat SELISIUS, Mensa, postquam omnino debellatum esse audierat, ministrum ab epistulis ad absentem scribere jusserat ut ante hebdomadem exactam ad repetenda munia rediret [2].

Præterea, anno MDCCLXXII, aliud multo gravius etiam acciderat, quod in dedecus amborum delatorum, LALAU et HOUZÉ, cessisse supra vidimus : insignem illam exercitationem dicimus, quam uterque immerito crimini verterant. Nonne fieri potuit ut novissima ista molestia SELISIUM ad infensissimum inimicum privatim ulciscendum impulerit?

Itaque Municipalis Ordo, cum satiram illam ad talem finem pertinere existimavisset, officii dignitatisque suæ respectu auctoritatis superioris fulmina in caput sontis provocanda esse censuit. Memoria quidem nostra, res hujuscemodi, seu duabus plombeis innoxie commutatis, seu sententia de querela expostulantis a judice lata, expedita esset. Sed tunc superius confugiebatur, scilicet ad prætorem urbanum, ad regios minis-

1. *Lettre à Mgr le garde des sceaux Hue de Miromesnil*, mense januario anni MDCCLXXV. (Rgistre des délibérations de lA'dministration municipale).
2. Cf. *Archives Départementales*, D. 3.

tros, ad summum juris magistrum, ad supremum signi publici custodem. Cum enim istæ litteræ publico signo obsignatæ, quibus rei indemnati in vincula conjiciebantur, nonnisi verso civitatis statu abolitæ sint, Tullianum illud gallicum, quæ *Bastilla* vocabatur, satiricis poetis et chartularum scriptoribus interdum patescere adhuc poterat.

Querela igitur ab Ordine Municipali ad supremum signi publici custodem, Hugonem de Miromesnil, Id. Januar. anni MDCCLXXV, delata fuit, qua magistratus gravissimas ab isto honestissimi civis detrectatore pænas repetendas esse censebant [1]. Ejusdem modi epistulæ, eodem die, ad ducem de La Vrillière atque ad prætorem urbanum mittebantur. Contra, pariter Idibus, collegii Mensa convocata, in qua Machault, Ambianensis episcopus, et Jourdain de Theuilloy, urbis major, et Fontaine, et eques de Saint-Germain, et Monnin, et Bultel, et Houzé de Cavillon intererant, eadem ac Municipalis Ordo deliberavit.

Propterea autem dux de La Vrillière laudandus, quod rerum inquisitio in mensis ejus non diu procrastinata est. Namque ab a. d. VIII Kal. Februar. ad Ordinem Municipalem responsum mittebat, quod in Commentarios relatum. Ac Selisius, illo forte auctore, jam prius ad eundem Ordinem, purgandi se gratia, modestam scripserat epistulam.

Dux vero de La Vrillière censebat, cum Selisius interrogatus ipse ipsi Houzé explicationes attulisset, quibus hic contentus esse visus erat, rem non esse persequendam.

Academia quoque, cujus Selisius, quanquam absens, adhuc erat [2], ad deliberandum convenit. Infrequens autem statuit, quatenus sub multis scripturæ lituris intellegi potest, concilium iterum convocandum opemque a quodam viro auctoritate gravissimo postulandam, cujus viri nomen non magis quam cetera legere possis, ut ejus opera leges valerent.

Sed altera convocatio non fuit. Etenim amplissimus ille vir ad quem aditum erat, scilicet cui natura Academiæ erat consulendum, Gabriel Marius de Talleyrand de Périgord, Picardiæ præfectus, cum æque prudens ac dux de La Vrillière esset,

1. In calce hujus epistulæ reperitur nomen Gressetii de Bussy, Selisio affinis, ut scabini, signatum.

2. Non ante annum MDCCLXXXVII, a d. XII Kal. Maias, in honorarios Academiæ socios delatus est.

pro negotio ad rem publicam minime pertinente multum tumultuari, operæ pretium esse pacem et quietem in provincia sua vigere, satius fore casum istum sedari quam in pejus agitari arbitratus est. Itaque Academia, omnium consensu, deprecanti morem gerendum esse decrevit [1].

SELISIUS igitur, ut liquet, puerilem nequitiam suam haud magno luerat, atque pristini urbis majores, PETYST et JOURDAIN, qui contra eum tam ardenter litigaverant, rem a se male gestam querelasque suas a summis viris, quorum præpotentem intercessionem imploraverant, parvi factas parum sibi procul dubio gratulati sunt. Nempe revera, novissimis XVIII sæculi annis, multum aberat ut municipales Ambianorum ministri, antiquis majorum institutis semper fidentes libertatisque funesto anni MDXCVII edicto in æternum fractæ speciem falsam libentius servantes, benignos in se oculos converterent magistratuum sibi a rege præpositorum, quos omnigenis suppeditandæ pecuniæ postulationibus maximeque cum potestatibus ceteris de ordine disputationibus sine ulla intermissione fatigabant [2].

Nec tamen forsitan temerarium sit in tam fausto exitu dignoscere et egregiam DELILLE amici operam et aliorum hominum pariter potentium intercessionem, quorum SELISIO contigerat, postquam Lutetiam venerat, ut benignam et utilem gratiam assequeretur.

IV. — De Selisii amicis et defensoribus. — Selisius in Collegio Gallico vicarius professor nominatur.

Nempe Lutetiæ SELISIUS, amici DELILLE opera, cum multis viris et litterarum peritis et eruditis et in omni condicione vitæ conspicuis conversatus est. Tunc enim ipse DELILLE, VOLTARIO vehementer instante, in Academiam gallicam modo cooptatus erat, atque in ea oratione, qua palam gratias egit, non tantum illius LA CONDAMINE, cui succedebat, pæne commenticiam

1. *Perscriptio* pridie Nonas Martias data, anno MDCCLXXV.

2. Cf. *Mémoires de l'Académie d'Amiens*, t. XLIV, an. MDCCCXCVII, p. 283-297. — *Un Commentaire sur l'Almanach des Muses de* 1775. (Recitatio a JANVIER academico habita).

vitam depinxerat, verum etiam philosophorum ducem sollemniter laudaverat, quæ laudatio, mentem beneficiorum quam maxime memorem sinceramque maximi scriptoris mirationem significans, multas ei amicitias cum viris litteratis pepererat. Præterea, in eadem oratione, occasione usus, teneros animi affectus lepidamque sermonis venustatem præ se ferens, LUDOVICUM XVI, vix undeviginti annos natum, puellamque ejus conjugem, formæ splendore florentissimam, callidis extulerat laudibus : infelix heu ! par regum, qui, omnibus fortunæ dotibus præditi, regiæ illius potestatis tot miseros casus tam lætis ominibus occultantis periculum una facerent ! Sed tunc DELILLE illi, propter hæc omnia, optimatium circuli simulque nobilissimarum mulierum perurbanorumque virorum cœtus omnes patuerant. Eum comes D'ARTOIS poetam suum vocare, beneficiis et peculiari existimatione colere solebat. MARIA-ANTONIETTA, quam versibus ingenuis et lepidis iterum celebraverat, venusta blandaque benignitate eum excipiebat. Regii ministri eum certatim expetebant. In lautissimis urbis cœtibus pro numine habebatur. Nemini unquam satis conspectus erat, sed omnes eum quodam certamine captare, pæne raptare.

At illud quoque dicendum est, silicet DELILLE unice et sine rivali ejus artis peritum fuisse qua mutui sermones peculiaribus ipsorum leporibus semper condiuntur atque felicissimis facetiis, levissime dictis, maxime vividis minimeque exspectatis responsionibus, gratulationibus non insulsis, non acerbis dicteriis, fabellis venustate narratis in immensum variantur.

Ceterum nec vacua domus ejus : aderant enim quotidie, præter uxorem ingenio præstantissimam, carissimamque DILETTAM (conjugis sororem, natu minorem), quæ postea ei Antigonæ loco fuit, complures amici, inter quos SELISIUS frequentissimus. Namque ei semper adeundi potestas erat, quo munere libentissime utebatur ; nec mirum, cum nihil unquam fuerit benignius, urbanius, patientius quam intima poetæ DELILLE familiaritas. Occurrebant in domo ejus, inter multos alios, bonus ille LEFÈVRE-GINEAU, quem ut suum physicæ præceptorem fidumque amicum cecinit ; DELAMBRE, cui pariter gratias egit, ille DELAMBRE tam gravis litterator quam doctus astrologus ; VAUQUELIN, CUVIER, THÉNARD, DE FELETZ, PARCEVAL GRANDMAISON, DUREAU DE LA MALLE, ambo fratres LACRETELLE nomine.

Excellentes illi viri eo conveniebant cum tribus quattuorve aliis claris hominibus, quibus SELISIUS familiarius usus est et qui eum multum adjuverunt.

Primus eorum erat BACULARD D'ARNAUD, vetus ille ab initio amicus, cui SELISIUS, ubi primum Ambianum venerat, ideo scripserat, ut se excusaret quod Lutetia subito discessisset neque eum prius salutatum adiisset; cui dicebat se eam cathedram deliberando accepisse, cujus rei se toties pænitere, quoties de amico cogitaret : sibi enim paucos homines notos fuisse, vel Lutetiæ, qui æque ac is comitatem libertati et leporem omnibus virtutibus miscerent. Itaque consilium inierat, postquam Lutetiam revocatus esset, una cum amico DELILLE, tam sæpe quam illis per eum liceret, eum convenire ut ejus sermonibus fruerentur [1]. In altera epistula, in qua eum carissimum vocatum ab ultima solitudine sua amplectitur, optat ut ei omnia contingant quibuscumque dignus est, atque sibi occasio brevi præbeatur, qua ei ostendere possit se in æternum memorem esse illorum beneficiorum quæ in se contulerit. Denique ei profitetur ipsum esse, inter omnes illos quos Lutetiæ novisse sibi contigerit, quem ob benignas curas atque ingenuum liberumque et magnum animum plurimi faciat [2].

Revera quidem vir bonus atque bene merendum maxime propensus erat BACULARD d'ARNAUD. Illius enim opera inter se conjuncti erant duo ii homines, qui diu ingeniorum societatem fecerant cum mutua laude et Gallorum voluptate, scilicet VOLTARIUS et LE KAIN. Preæterea nonnulli versiculi haud insulsi, inter quos laudanda est illa *Epître à Manon*, alio liberiore titulo notior, in hunc D'ARNAUD FREDERICI, Borussorum regis, oculos converterant, qui eo biennium ministro ab epistulis Lutetiæ habitante usus est ac deinde Berolinum accivit. Quem benignissime exceptum Ovidium appellavit suum, versusque dicavit, quorum hæc erat clausula :

Déjà l'Apollon de la France
S'achemine à sa décadence ;
Venez briller à votre tour...

Ille autem Gallicus Apollo, VOLTARIUS, cum se ita cum alio

1. Cf. De Beauvillé, *op. cit.*, p. 608.
2. Idem (*ibidem*), p. 609.

conferri ægerrime ferret, pænas ab hoc d'Arnaud exegit plurimum de ipso et de versibus ejus cavillando. Ambo deinde Berolini una rursus fuerunt ; sed d'Arnaud, postquam ibi minus annum commoratus erat, Dresdam se contulit, ubi legationis consiliarius creatus est. Cum autem patriam revisere cuperet atque a comite de Frise, marescalci de Saxe nepote, invitaretur, Lutetiam redire statuit. Ibi dum ab optima elegantium hominum societate expetebatur, illustrissimorum virorum familiaritatem meruit. In hac exquisita corona, quam in academici Delille domo aut alibi offendebat, non solum ingenium libenter profundere, sed etiam consiliis sententiisque scriptores et artifices adjuvare solebat, præsertim si qui Græcorum Romanorumque et linguæ, ut Selisius, et artibus una cum ipso studere poterant.

Deinde Barthe ille, poematum scænicorum scriptor, utriusque Thomas et Chamfort amicus. Huic erat indoles omnium jucundissima et hilarissima, ita ut feliciter argutis responsionibus præcipue vigeret. Pridie quam ejus comœdia *La Mère jalouse* acta est, quæ quidem parum valide stetit, cum significanti se leviter sollicitum esse familiaris Chamfort dixisset : « Quid timeas, qui nullos habeas inimicos » ? — « Nullos quidem, inquit, nisi forte amicos ». Idem mobilis et inconstans amicus erat, de quo Thomas dictitabat : « Per eum in amicitia omnes amoris procellas offendi ».

Jam Thomas, vir ille frugi, primus ille collegii sodalis, tunc autem Academiæ socius. Is quidem inter omnes simplex, benignus, probus, religiosus, cum a D[a] de Necker tum a D[a] Geoffrin, quæ eum annua pecunia donaverat, eximie dilectus; sed idem magniloquus ille Thomas tamen erat. Qui, cum posteros semper in animo præsentes haberet, neglecta parva laude delectandi alicujus circuli, nunquam fere nisi cum intimis familiaribus et perpaucis colloquebatur. Humanæ infirmitatis vitia in se non cadentia condonans, a levibus cupiditatibus alienus, vel minima agendo gravis erat. Scriptores ad se confugientes consiliis libenter adjuvabat, et, quod rarius est, miseris rem familiarem reserabat : ut, quas facultates potentium amicorum opera comparaverat, eæ pro modestia ejus nimiæ, pro munificentia semper exiguæ essent, nec sufficerent. Inde facile intellegi potest quo usque diligentiæ pervenerit erga parentes, qui cum eo vivebant, maximeque erga

matrem, quam anno MDCCLXXXII amisit. Quid mirum, si plures litteratorum peritos vera sibi caritate devinxit, qui id non semel in scriptis testati sunt, ut MARMONTEL, DELILLE, CHAMFORT, BARTHE, DUCIS, SELISIUS ipse ?

Denique WATELET, pariter Academiæ gallicæ, ubi diu cum DUCLOS, D'ALEMBERT et SAURIN, unus ex philosophicarum partium ducibus habitus est, propiereaque ab adversis partibus interdum lacessitus. Is, cum pecuniis cogendis præfectus esset locupletissimusque, artes et litteras coluit, neque eum Musæ Parnasso dedignatæ sunt. In ripis Sequanæ, non procul ab urbe, villam amœnissimam, nomine *Moulin-Joli* notissimam, paraverat vel potius creaverat. Formosæ naturæ artiumque eam imitantium amantissimus, ut illlud domicilium scite ornaret, loci vere graphici quidem, sed antea inculti et agrestis, secundas iniquitates jusserat repræsentari. Relicta igitur rectarum linearum majestate superbaque veterum architectorum [1] ornatione, una cum MOREL in Gallia novam hortorum descriptionem instituit. In antiquis autem salicibus, quæ flumen ejus prætexebant, poeta versus inscripserat dulcis disciplinæ solatio impressos. Immo in quodam eorum epigrammatum semetipsum sic pinxerat :

Consacrer dans l'obscurité
Ses loisirs à l'étude, à l'amitié sa vie :
Voilà les jours dignes d'envie,
Etre chéri vaut mieux qu'être vanté.

Hi erant quibus familiariter utebatur SELISIUS et quorum fuit, ut ita dicam, deliciolæ. Ceterum ipse omnibus illis viris ingenio simul et benignitate eximiis minime indignus erat. Quod si corporis dotibus minus excellebat, ut cui esset vultus pinguior cum deformi inter loquendum rictu, at vocis suavitate, verborum elegantia, fausto sermonis habitu, dictorum omnium lepida jucundaque utilitate levia hujuscemodi incommoda facillime pensabat [2]. Quicquid est, magna horum ingeniorum admiratione animoque beneficiorum memore impulsus, non diu moratus est quin illis utrumque mentis affectum

1. LE NOSTRE et MANSARD.
2. Cf. Perroud, *op. cit.*, p. 264 et 269.

significaret parvum edendo opusculum, cui titulus est : *Epîtres sur différens sujets* (MDCCLXXVI).

Eodem anno, DELILLE, illi ovanti vitæ, quam in urbe degebat, parumper valedicens, urgente magis etiam amicitia quam cupiditate, vehementissima tamen, invisendæ Græciæ, unius illius artium libertatisque patriæ, navem eam, qua legatus gallicus per Mediterraneum mare vehebatur, conscendere tandem sustinuit. Caveamus autem ne hanc prope vim amicitiæ illatam comiti DE CHOISEUL-GOUFFIER crimini demus : namque inde ortæ sunt pulcherrimæ sententiæ poematis illius *De l'Imagination*, quod est forte maxime peculiare poetæ DELILLE opus.

Priusquam Lutetia profectus est, DELILLE SELISIUM, ut par erat, designaverat qui, se absente, suam poeticæ latinæ cathedram in Collegio Gallico obtineret. Hac lectione rata habita, SELISIUS professor vicarius nominatus est : novum et insigne sane indicium, quanti artes ejus fierent, præsertim ex quo Persii satiras a se conversas publicaverat.

Mera tamen devotione munus non defugit. Nimis enim sentiebat quam periculosum esset ei viro succedere, cujus rarissima recitandi vel declamandi facultas, præter certam poeticorum arcanorum cognitionem, delecta virorum corona, litteras amantium atque in diem audiendi magistri studiosiorum, cathedram suam circumdederat. Accepto nihilominus fiduciario munere, SELISIUS institutioni suis quidem studiis carissimis accommodatæ libenter se dedit, remque feliciter gessit.

Ineunte autem anno MDCCLXXVIII, DELILLE, Lutetiam redux, scholas suas eodem successu repetivit. Sed, adversante fortuna, cum prope esset ut poeta cæcus fieret, qualis fuerat Homerus, valetudini parcere coactus est : itaque suus ei amicus vicarii loco relictus.

V. — De Selisio ordinario latinæ poeticæ in Collegio Gallico professore.

Per multos annos, cum geminis professoris munibus in collegio LUDOVICI MAGNI et in Collegio Gallico brevia tantum

otia smperessent, SELISIO jam non licuit studiis se dare quæ ad publica instituta sua minime pertinerent. Itaque non ante annum MDCCLXXXIII (exceptis hoc *Petite Guerre*, quod est anni MDCCLXXVIII, atque hoc *Dissertation sur Perse,* anni MDCCLXXXIII), scilicet septimo anno post suas *Epîtres sur différens sujets*, quarum versus « *très jolis* » a VOLTARIO dicti erant, ad stilum rursus venire constituit. Cumque indole et studio ad satiram propensus esset, primum elucubravit fabulam quandam, cui titulus est : *l'Homme de quarante ans corrigé, ou la fée Sincère*; deinde libellum famosum, eorum instar qui gallice *Nouvelles et Anecdotes* inscribuntur, adversus illam aulam, quam olim laudaverat, quæ tunc usquequaque lacessebatur. Nempe postea tempus processerat simulque libertatis cupiditas, ut sui quisque juris esset, quam in sententiam SELISIUS sincere quidem transierat.

Quamcumque autem civilem rationem insistere SELISIO videbatur, de ea minime disputabimus. Neque hic sumus optimas imperandi leges exacte pensitaturi. Quod si noster non reipublicæ Constitutionem anno MDCCXCI decretam, nedum anni MDCCXCIII Terrorem, sed regni stabilitatem, Galliæ salutem, qualem intellegebat, regis decus, omnium libertatem, omnibus indulgentiam appetebat, ne quicquam aliud ab eo quæsierimus.

Quod ad mores pertinebat, castitatem postulabat, qualis ab ipso colebatur. Nullam de moribus pactionem faciebat, quorum leges cum litterarum artiumque tractandarum legibus libenter commiscebat. Itaque, cum temporum suorum licentia impuritasque ex aliis quidem causis, sed maxime ex minoribus Lutetiæ Spectaculis oriri ei videretur, ista publicæ indignationi vehementer denuntiare instituit : qua mente impulsus, suam scripsit *Lettre à un père de famille sur les petits Spectacles de Paris, par un honnête homme* (MDCCLXXXIX).

At non scænica tantum spectacula emendanda erant, sed jamdudum inter ipsos religionis ministros, qui ista ludicra morum castigandorum nomine vituperare palam solebant, multa vigebant vitia, quæ ut tollerentur, clero universe reformato opus erat. Undique enim, cum ex laicis, tum ex sacerdotibus, vehementes in clericos insectationes fiebant. Quæ cum non ignoraret, SELISIUS ipse in certamen prodiit suam edens *Lettre d'un Grand Vicaire à un Evêque sur les Curés de Campagne* (MDCCXC).

Hoc opusculum omnibus probatum atque etiam a CHAMFORT critico laudatum est. Talibus igitur fretus suffragiis, SELISIUS alterum libellum, quo non jam sæcularis, sed et regularis clerus peteretur, componere statuit; ac mox editæ sunt ejus *Lettres écrites de la Trappe par un Novice* (MDCCXCIII), quæ, non minore favore exceptæ, alterius critici, scilicet GRIMM, laudes auctori meruerunt.

Inter duo ea opuscula SELISIUS quandam scripserat epistulam ad civem LA HARPE missam, quocum insignem de Collegio Galliæ dicto disputationem inierat. Ceterum, ea tempestate, qua plures satis habuere quod vixissent, SELISIUS tantos accepit honores, quanti non semper merentibus publice tribui solebant. Quamvis enim a LA HARPE lacessitus esset, tamen hujus probationem denique obtinuit atque ejusdem similem se magis magisque præstitit, adeo ut, cum is vehementissimus novarum rerum mirator carmen *ad Libertatem* dicatum coram populo, rubeo pileo tectus, recitavit, SELISIUS forte in primis fuerit qui recitantem plausu foveret. Nec mirum, cum et ipse DELILLE, cui vel miserrimo libertas non sine minis perpetuis licta est, cive CHAUMETTE jubente, conscripserit illud *Dithyrambe sur l'Etre suprême et l'immortalité de l'âme !*

Itaque, ubi anno MDCCXCIV ineunte, parum constat quibus tunc causis impulsus, at certe pejus quam unquam ægrotans et oculis captus, DELILLE Lutetia iterum discessit, SELISIUS natura in mentem venit designandus qui ejus in locum cum ordinarii professoris titulo succederet. Is igitur, ante diem V Nonas Octobres anni MDCCXCV nominatus, munus illud accepit sine superbia, mera amici caritate adhuc motus, cui sedemredituro servatam quamprimum restituere libentissime parabat. Quod ipse declarat, sermone forsan putidiore, in epistula ad *Journal de Paris* scripta publicataque [1].

Anno MDCCCI, amico DELILLE revera Lutetiam reduci suus professoris in Collegio Gallico titulus restitutus est. SELISIUS vero resumptum professoris vicarii titulum usque ad obitum retinuit, qui paulo post accidit.

1. Die undetrigesimo vindemiarii mensis, anno Reipublicæ gallicæ quarto. — Vide hanc epistulam in *Appendice*.

VI. — De Selisio in Schola Pantheonis Centrali dicta optimarum artium professore.

Quo anno SELISIUS ordinarii in Collegio Gallico professoris titulo honorabatur, eo ipso in Schola Pantheonis Centrali dicta, antea Collegio Montacutensi [1], ubi didicerat, quæ nuper una cum Mazarino ludo aperta fuerat, ingenuarum artium professor fere simul nominabatur. Designatus est quoque studiorum judex sive discipulorum interrogator in Prytaneo, olim LUDOVICI MAGNI collegio, ubi gratuito cum suis habitavit.

Jam duos annos in Pantheonis Schola profitebatur, cum summi civitatis parisiensis procuratores, fausto utriusque Scholæ Centralis successu impulsi, cum nullus alius ejus modi ludus Lutetiæ esset, necessitate publice docendi in dies magis urgente, tertiam Scholam in via Antonia aperuerunt.

Hæc inaugurata est primo die brumarii anni sexti, quo tempore status erat ambarum priorum reditus. Tres propterea orationes habitæ: una, a cive JOUBERT, summæ Sequanæ provinciæ Procurationis præside : altera, a COSTAZ cive, mathematicorum in recente Schola Centrali professore; tertia, a SELISIO. Tres illæ orationes, ita sollemniter habitæ, ex hoc casu duplam hauserunt jucundidatem, quam trium oratorum virtus optime sustinuit.

SELISIUM jam vidimus philosophorum sententiis jamdudum assensum esse. Itaque, statim ut civitatis forma mutata est, novarum rerum principia ardentissime consecutus, rebus recenter reformatis libentissime plausit. Quem igitur rectius decebat Scholas Centrales, alterum illum emendatæ institutionis gradum, laudare vel, ut ipse ait, defendere, quam eum civem cujus strenua vita publicis præceptionibus perpetuo dedita erat ; quam eum litteratorem, qui per cæcum irrationalemque usum et putidam pristinarum scholarum rationem litterarum judicium comitatemque duxerat ; quam eum priscum *Laudationum* auctoris et DELILLE sodalem, qui, iis rebus

1. In loco ejus stat hodie bibliotheca SANCTÆ GENOVEFÆ nomine nuncupata.

superior, ut hi erant, quas docere cogebatur, progredientem duodevicesimi sæculi animum sequebatur atque in illa prius Universitate dicta, rerum a magistris traditarum inanitati aut vitiis, peculiari arte propriæque rationis acumine, sicut hi rursus, tacite medebatur?

VII. — De Selisio in Institutum Nationale ascito. — Selisii obitus.

Attamen, ante diem VI Idus Augustas anni MDCCXCIII, contio illa politica, quæ dicta *La Convention Nationale*, Academiam Gallicam abolendam decreverat, jam dilapsis fere omnibus Academicis. Sed cum illius litterarii Cœtus abolitio, quo vigente Galliæ genius pariter florebat, diuturna esse non posset, nova civitatis constitutio, tertio fructidori mensis die anni tertii (a. d. XI Kal. Sept. anni MDCCXCV) promulgata, hæc sub paragrapho conscripta præbuit: « Est in universa Republica Institutum Nationale dictum, inventa colligere, artes et doctrinas perficere jussum (articulo CCXCVIII) ». A. d. VIII Kal. Nov. insequentes, *Conventio* legem de civibus publice instituendis sanxit, qua novi ordinis, in classes divisi, compositio continebatur. Tertia classis, quæ Litterarum et Artium erat, octo partibus constabat, inter quas Grammaticæ et Poeticæ partes pristinam Academiam Gallicam repræsentabant. Utriusque illius partis aliquot socii postea in novos Quadragintaviros asciti sunt: sic ii quoddam interregnum obtinent.

Novus ille ordo, Panthei litterarii speciem præ se ferens, ex inclitissimo quoque æqualium conflatus erat. In eum ascitus est SELISIUS, qui tertiæ partis (in classe Litterarum et Artium) fuit [1].

Ibi autem, ubi digna erat impigræ vitæ consummatio, minime otiosus mansit. Etenim, ex primis annis, Dictionarii Academici quintum editi (anno MDCCXCVIII) partem, quod ad grammaticam simul et typographicam attineret, emendandam a Cœtu accepit.

Concilia, — quæ Institutum in occidentali parte illius *Vieux-Louvre*, hodie *Muséum* facto, prius *Salle des Antiques* nuncu-

1. Jam Academiarum Lugdunensis, Rothomagensis, Genabensis, Rupellensis socius, atque Academiæ Regiæ Berolinensis peregrinus consors erat.

pato, tunc habebat, — jucundis relationibus [1], notis [2], commentariis [3] aut recitationibus sæpe detinebat. Nam usque ad obitum studuit. Bellos interdum, plerumque mediocres versiculos fecit ; anonyma composuit, quæ Instituti Memorialibus inserta reperiuntur. Hæ communiter fabulæ vel de præsentibus moribus et factis acerbe ficta erant, quæ nonnunquam feliciter cesserunt ; erant quoque ἀλληγορίαι effigiesque, secundum quendam sæculi morem inter lepidos societatis homines vulgarissimum, sed insulsæ pleræque : quales fuerunt *La Petite Chienne* (quæ forte Martialis poetæ imitatio est. — Vide *Epigr.* I, CX), *La Consolation*, *Le Vieillard sorti de prison*, *La Syrène et le Passant*, etc., etc.

Selisius Lutetiæ obiit, in ædibus Prytanei, in via Sancti Jacobi sitis, ordinis n° LXVIII notatis, desideria secum auferens cum amborum fratrum et castæ conjugis, quæ pulchros ejus dies ornabat ærumnasque solabatur ; tum pauperum, quorum miseriam levabat ; tum frequentium auditorum, qui eo perito tutoque duce utebantur ; tum amicorum et litteratorum, qui ejus ingenio, exquisito judicio, libertati, benignitati, simplicitati debitas tribuere laudes libenter cuncti solebant.

Anno MDCCCII, a. d. V Idus Februarias, tertia vigilia decedente, postquam sex menses assidue atra bili laborabat et sex dies animam trahebat, tributum naturæ singulis pendendum Selisius solvit. *Multis ille flebilis occidit* [4].

Ejus exsequiæ, quas ordinandas Institutum Nationale suscepit, trigesimo pluviosi mensis die (a. d. XI Kal. Mart.), hora diei septima, actæ sunt. Quinta autem ejusdem diei religiosa funera in ecclesia Sancto Benedicto dicata, cujus parochitanus erat, jam erant celebrata [5].

1. Verbi gratia, de quadam Angeli Mariæ Bandini, qui summi Tusciæ ducis bibliothecarius fuit, *Notitia* ad quendam græcarum fabularum Æsopo vulgo imputatarum codicem spectante. Cf. *Mémoires de l'Institut*, t. III, anno VII.

2. Exempli causa, de *Philemonis et Baucidis* fabula. *Ibid.*, t. II.

3. Concludendum sibi proponit quendam de ejus La Fontaine commentarium, quem Chamfort perficere, tempore deficiente, non potuit. *Ibid.*

4. Cf. *Le Moniteur universel*, MDCCCII, n° 153, p. 613. *Nécrologie* a collega Gail. — *Le Journal de Paris*, a. d. IV Idus Febr. MDCCCII.

5. Utrasque in *Appendice* funebres epistulas ab Instituto cognatisque missas invenies.

LIBER II

DE SELISIO SCRIPTORE

Universum Selisii opus, quanquam non ingens, si cum tot aliis contuleris, tamen, si titulorum numerum perpenderis, id est quod non minimi fiat. Etenim viginti fere opuscula noster composuit, quorum quidque proprio dignum est judicio. Ea autem quo rectius existimentur, operæ pretium esse videtur, omnibus prius divisís, singula deinde, cum carmina, tum prosa oratione scripta, observari. Itaque duæ sequuntur partes, quarum una de Selisio poeta, altera de eodem prosæ scriptore tractabitur.

PARS PRIOR

DE SELISIO POETA

CAPUT PRIMUM

DE QUODAM CYCLICI GENERIS POEMATE :

L'Armée romaine sauvée par les prières de la Légion fulminante.
Poëme. (*Paris, veuve Damonneville, Quai des Augustins,* 1760, in-12).

Sub hoc titulo SELISIUS opus prope epicum, cyclico saltem generi adscribendum, aggreditur, cui sua futura erat virtus pulchritudoque et utilitas, si præsidium fuisset tutelaque. Hæc enim, ut ait ipse in suo *Avertissement,* majoris operis pars erat, in quo christianæ religionis miracula, ab origine ad memoriam nostram divinitus effecta, versibus celebranda sibi statuerat : « suum cuique prodigio poema fore vel potius pro- » priam descriptionem; eos enim locos neque divisos neque » conjunctos poema nomine justum, epicum carmen confla- » turos ; sed quasi tabulas fere poetice pictas ; quibus miracu- » lorum descriptionibus si modo nonnullæ adderentur typis » impressæ imagines, profecto magnificum evasurum opus ». Hic, verbi gratia, ubi noster, fulminantis Legionis prodigium CIV versibus canit, si e regione paginarum, — in quibus præsertim poema primum esset prelo subjectum, adhibitis geminæ et integræ mensuræ chartis, — una pluresve interessent tabellæ, quæ illud memorabile historiarum facinus effingerent, liber ejusmodi fieret, qui ab omnibus viris seu litteratis sive artium amantibus jure laudaretur [1]. — Hæc circa operis formam,

Quæ autem est fulminans illa Legio, quidve illud miraculum ? Bello Marcomanico, anno Urbis conditæ nongentesimo vicesimo primo [2], res evenit maximi momenti, utpote quæ non

1. Cf. *Mémoires de Trévoux,* mense januario anni MDCCLXI, p. 172-175.
2. Crévier, *Histoire des Empereurs Romains,* t. VIII, p. 258.

tantum per se faustumque suum exitum gravissima sit, sed etiam ad religionem summopere pertineat. Cum enim Romani, duce M. Aurelio imperatore, in angustias ingressi essent, quibus imminentes colles a Quadis cunctæ tenerentur, ut memorant Dion [1] deindeque Claudianus [2], æstu ferventissimo, deficiente aqua, exercitus lassitudine et siti conficiebatur. Neque mori quidem pugnantibus jam licebat, quia Barbari, secundiore loco et aere omnia siccante fidentes, detrectato certamine, hostem probris, immanius quam telis, procul lacessebant.

Rebus itaque desperatis, inquit Eusebius [3], Christiani milites, quibus Melitenæa legio in romano exercitu continebatur, flexis ad terram genibus, Deo vivo veroque preces et vota extulerunt.

Continuo, collectis densatisque nubibus, fulguribus exaratur aer atque dulci largoque imbri Romanorum castra perfunduntur. Quo cælesti munere cum vita omnibus redderetur, primo oculis vultuque sursum elatis, aquam ore captant; mox, sumptis galeis, caveis pluviæ adversis, avidius bibunt.

Barbari vero, cum occasionem obsessos aggrediendi opportunam putarent, irruere parant. At recreata, nec jam victimarum turba, fulminans Legio surgit, ut leo ad victoriam properans.

Lucentibus igitur tonitruum ignibus ducti, Romani procedunt. Interea, in Quadorum castris, flammeis grandinat lapidibus : sic iratum numen, hostibus fusis, pios famulos ulciscitur :

Mais, ô Dieu, quel spectacle, et quel bruit formidable !
Un nuage brûlant, immense, épouvantable,
Vaste océan de feu dans les airs suspendu,
Vers le Quade effrayé lentement descendu,
S'arrête, et fait gronder sur l'armée infidèle
Les foudres entassées qu'en ses flancs il recèle.
Le signal est donné : mille feux dévorans
De leur noire prison s'échappent en torrens ;
De cailloux enflammés une grêle brûlante
Tombe, et roule à grand bruit sur la plaine fumante.
Le Barbare éperdu cède à son triste sort,

1. Dion, p. 805.
2. Claud., *De* VI *Cons. Honorii*, v. 340.
3. Euseb., *Hist. Eccl.*, l. v, c. v.

Il fuit, en frémissant, poursuivi par la Mort :
La Mort vole et l'atteint ; et la terre ébranlée,
Entr'ouvrant des Enfers la route désolée,
Engloutit les débris qu'a dispersés la peur,
Se r'ouvre..., et dans les flots d'une épaisse vapeur,
Parmi les feux, le soufre, et des roches ardentes,
Rejette en mugissant des dépouilles sanglantes.
Il n'est plus d'ennemis . .

Hæc adeo insolita portentosaque testantur multi veteres. Claudianus, illam M. Aurelii de Quadis victoriam memorans, negat ullum ducibus decus ob eam tribuendum [1] : in eo enim prælio omnia cælitus gesta, nec quicquam mortalibus armis agenda fuisse [2]. Dion rem magicis artibus effectam contendit, leviter absurdeque opinatus nec jam dignus factus qui refellatur, præsertim cum imperator dixerit se magiæ nullam adhibere fidem [3]. Capitolinus [4] et Claudianus [5] M. Aurelii virtutibus prodigium laudi fuisse affirmant, quibus is tam insigne deorum munus meruisset. Sed de isto rerum exitu consentiri vetat veritas. Nam sanctus Hierapolita et Tertullianus [6], eodem de facto testantes, christianorum militum precibus tantummodo eventum assignant.

Huic clausulæ natura hæsurus erat SELISIUS. Ceterum jam antea RACINIUS junior, in suo poemate quod *La Religion* inscribitur, nonnullis luculentis versibus idem celebraverat prodigium, quo argumento, sicut sexcentis aliis, veram esse christianam fidem asseverat [7].

In hoc divinitus facto SELISIUS materiem invenit, quam explanaret, res describendo secundum morem duodevicesimo sæculo frequentissimum. Namque in ejus opere omnia passim occurrunt quæcumque velut ex pacto conventuque nunc expleri nunc depingi solent. Amicorum THOMAS et DELILLE auctoritas præcipue ibi sentitur, quorum studia et sententias

1. *Laus ibi nulla ducum : nam flammeus imber in hostem*
Decidit... (v. 342-346).
2. *Tum contenta polo mortalis nescia teli*
Pugna fuit. (v. 347).
3. M. Aurel., l. I.
4. Capitol., *M. Ant.*, c. XXIV : « *Fulmen de cælo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluvia impetrata quum siti laborarent* ».
5. *Omne Tonantis*
Obsequium Marci mores potuere mereri... (v. 349).
6. Tertull. *Apologet.*, c. VII.
7. Racine, c. IV, v. 354-361.

Selisius communia sibi fecerat; Racinii quoque, quem fere totum memoria fortasse tenebat. Descripta nubes digna præsertim erat quæ a nobis laudaretur. Duo primi versus concinni sunt et poetici : eorum machinatio fausta. Adjectiva nomina, recte disposita, arte cæsa, judicio delecta, quantus sit rerum horror enucleate ostendunt, casusque teterrimos, terribiles, tremendos apte depingunt oculisque ministrant. Adest imitatio non fortuita, sed quæsita, quæ tertii quartique versus impetu etiam notatur. Hi versus, bene fabricati, Selisium significant ætatis suæ poetica peritum usum esse. Verbo ad initium quinti versus rejecto vehementer movemur, ingeminatumque hostis periculum inde sentimus. Contra, incerta quædam, versus inertes, quales tot fuerunt duodevicesimo sæculo, passim apparent, ubi, verbi gratia, istos *mille feux dévorans qui de leur noire prison s'échappent en torrens* Selisius depingit. Illius ætatis judicium pariter significatur his noni versus nominibus adjectivis, *enflammés* et *brûlans*. De hoc ἀλληγορικῶς dicto, *la Mort vole et l'atteint*, item autumabimus. Firmitas enim non jam tanta est, quanta principio fuit ; sed hic dicendi genus in pactionem artificiumque prolabitur. Plus tamen coloris et splendoris habent tres novissimi versus, qui universam magni Racinii concinnitatem prope referunt : ii sunt versus ampla et recta ratione tornati.

Talibus rebus membratim expositis, apparet in Selisio fuisse præcocem fingendi facultatem, verum naturæ sensum, magnam callidarum ætatis suæ artium peritiam ; cognoscitur etiam cujusmodi fuerint ejus versus, quorum ad initia sæpe verba rejiciuntur, sicut illi Delille mos est, ubi saltem tantum valent, quantum valentes noster facere possit. Attamen ne quid nimis contenderimus. Optima quidem sunt in eo poemate, quæ destinata vivido explanavit ingenio imperitus adulescens, unde tirocinium dicas scribentis judicium et pietatem prænuntians ; sed non præclarum est id opus, quod iners esse potius fateamur. Qualecumque tamen est, per id confirmari licet Selisii poeticam pulcherrimo scribentis consilio minime inferius fuisse, cum contra sæpissime insit in ejusdem ratione modoque fervidus impetus, verborum granditas, animi affectus.

CAPUT II

DE SATIRICIS EPISTULIS :

I. — Epître à M. Gresset *(1762)*. — Epître sur les Pédans de Société. *(Paris, Quillau, rue du Fouarre*, 1771, in-12).

Postquam cyclici carminis periculum non sine aliqua laude fecerat, Selisius, occasionem nactus, præceptivum genus facile aggressus est. Cum enim Gressetius poeta, integro Ambiani otio fruens, nullum jam cum Musis commercium haberet, noster illum in Epistula versiculis scripta vehementer increpavit :

> Et quoi, triste Gresset, tu dors,
> Et tu t'efforces, sans remords,
> D'anéantir tout ton génie !
> . . . .
> Sors de ta coupable indolence,
> Et reviens parmi les vivans
> Les dédommager du silence
> Où tu t'es plongé si long-temps.

Sed hic objurganti non terminus hæret. Fabulæ enim *Le Méchant* inscriptæ auctorem pro comico poeta excellentissimo, pro perfecto absolutoque vate habet Selisius, qui Gressetium Molerio parem et fingit et dicit, laudibus utens nimiis atque a recto scribentis judicio abhorrentibus :

> Gresset, de ta mourante voix
> Ranime la force première ;
> Quitte les ombres de tes bois,
> Sors de ta tombe, et sois Molière !

Nam, pergit noster, quod unquam sæculum impavidorum censorum magis indiguit ? Bellum ergo indicatur istis fanaticis qui fora adeunt ut impietatis præcepta tradant ! Bellum istis Mæcenatibus, qui vacua libidinosorum auctorum capita sertis redimiunt ! istis Crœsis, qui apparatam voluptatem solvendo moriuntur ! istis ambitiosorum versuum artificibus, istis trossulis muliebri veste indutis, istis mulierculis dementia præcipitibus, quæ dementes nostros imitando se viris similes fore arbitrantur !..

Veridica quidem, neque uno loco, istiusmodi pictura adhuc

esset, quæ heri modo data esse videatur. Sed num revera Gressetiani erat ingenii ? Satiricum sane poetam GRESSETIUS se præstitit in *Le Méchant*, qua comœdia oppidani, a MOLERIO tam male mulcati, Parisiensibus superbissimis, ut ita dicam, talionem reddunt. Violentis profecto mirandisque exemplaribus, POURCEAUGNAC et ESCARBAGNAS nominibus illustratis, qui ridiculorum agrestium, cum virorum tum feminarum, æterni sunt archetypi, Parisiense tædium, stultam urbanorum fatuitatem GRESSETIUS opposuit, nullis parcens vitiis quæ in circulis, in popinis, in mœnium ambulacris quotidie offenduntur. Sed, ubi MOLERIUS, validissimo ingenii acumine, ineptiarum monstra persequitur attingitque, ibi GRESSETIUS, genuino pectoris instinctu, dulces et poeticos affectus, placidam et puram felicitatem, in satiris suis imagine refert. Huic deest ea ipsa *vis comica*, quæ MOLERIO tanta fuit. Etenim, ut psittacus ejus lepidior et fugacior, ad festive garriendum evanescendumque natus, mollissime permulsus, delicatissime cultus, quomodo in acerrimam civilium partium dimicationem GRESSETIUS se immittere potuisset?

In calce, versiculis mediocriter tornatis et facilibus, SELISIUS queritur quod sibi non sit illius poetæ ingenium, ut dignis eum laudibus celebret :

Pour moi, de ton art enchanteur
Si je possédois la finesse
Et le secret de ta couleur,
Je signalerois ma jeunesse
Par un tableau cher à mon cœur.

Gratissima hæc pictura sex partes contineret. In prima et secunda, GRESSETIUM præcipuas excellentium operum suorum personas indueret, hinc *Ver-Vert*, illinc *Le Méchant* proprio utriusque habitu acturus. Proxime, tertiam partem obtinens, Invidia, successus testis, insidiosis linguam instrueret aculeis. — De eo VOLTARII odio et invidia, quibus hic alluditur, sæpius litigatum est. Haud ægre recipietur VOLTARIUM GRESSETIO adeo majorem fuisse, ut, si quid huic paululum prospere cessisset, minime invideret. Ceterum prior alteri suum in summa ita tribuit, ut non multum huic de magno philosopho querendum esset. Semel quidem GRESSETIUS VOLTARIO tum vere offecit, unde semel invidia brevis orta est, cum parumper

consilium iniit invitanti FREDERICO, Borussorum regi, obsequi [1]. Sed bis deprecatus est, quod ei laudi tribuit SELISIUS in quarta picturæ parte :

Frédéric quittant les combats
Et les vastes soins de l'Empire,
Pour lui chanteroit sur sa lyre,
En l'appelant dans ses Etats :
Mais notre sage n'iroit pas...

Quinta pars GRESSETIUM ostenderet tranquillum et felicem inter suos rarosque familiares, quod unum jampridem ambiisset. Denique, in sexta ultimaque figurativæ picturæ parte, in scænam induceretur Pigritia, ut perennis astans vituperatio.

Talis est illa Epistula, una ex optimis SELISII. Præjudicato igitur opus erat illi GRIMM, ut in sua *Correspondance* [2] hæc scriberet : « *Cela n'est pas précisément détestable, mais cela ne vaut pas non plus qu'on s'en occupe* ». In eo enim sæculo, in quo poetarum, etiam secundi ordinis, non magnus erat proventus, SELISIUS fastidium minime merebat. Sunt contra in illa Epistula nonnullæ strophæ ampla et grandi concinnitate, quarum nunquam oblivio fiet. Nec quicquam obstat quominus SELISIUS vere litteratus vir libenter agnoscatur.

Altera Epistula, *Sur les Pédans de Société*, seu sententiarum paucitate, seu orationis sæpe uno tenore fluentis vitio, seu verborum non semper aptorum obscuritate, illi *Epître à Gresset*, quanquam longe cedit, habet tamen plures versus faciles nonnullaque lepide explanata, ut GRESSETIUM ipsum, maxime *La Chartreuse*, SELISIUS imitatus esse videatur.

Quæ dicitur putida pædagorum affectatio, inquit, potius animi quam ministerii vitium est : urbana enim comitas festivaque hilaritas cum magistri gravitate conjungi facillime possunt. Ridiculam istam sentiendi rationem elegantibus hominibus solitam SELISIUS vehementer recusat ; atque, dum pro erudito eo viro, pro eo collegii professore propugnat, quem illa nobilium juvenum aut marchionum, tam fatuorum quam rudium, societas contemnit,pro se ipse rem gerere videtur victorque respondet :

1. Cf. Lenel, *Voltaire et Gresset*, (*Mémoires de l'Académie d'Amiens*, MDCCCLXXXVIII, t. XXV, p. 133-172).
2. T. V, julio mense, anno MDCCLXII.

Brillant Marquis, je suis Régent; pour vivre,
Soir et matin, je pâlis sur un livre,
Vêtu de noir, j'enseigne les détours
De l'Eloquence, et l'art des beaux Discours :
J'explique à jeun ce que c'est que la grâce
En Poésie, et je commente Horace,
Et qui pis est, je harangue en latin.
Vous jouissez d'un plus charmant destin.
Mais de nous deux, si je puis m'y connoître,
Le plus Pédant, ce n'est pas moi peut-être.

Pergit copiosa explanatione de lepidi professoris officiis, quem Minervæ parem esse fingit

Descendue aux rivages d'Ithaque
Pour gouverner le bouillant Télémaque.

Deam imitans, discipulos recte admonet atque viros frugi, cives regi et patriæ devotos præparat. Nec minus opportune addit :

On nous voit peu dans les beaux entretiens,
Profondément raisonner sur des riens...
Vrai Pédantisme, insipide étalage,
Dont les galons et les soupers exquis,
Le talon rouge et l'art du Persifflage
Ne sauvent pas nos illustres Marquis.

Tam miserabiles quam nobiles, omnes isti marchiones nullo negotio unquam tenentur, nisi corporis cultu, cui dum vacant recitari sibi scriptores a cubiculario exigunt, aut conviviis, in quibus intersunt exquisito ingenio viri, qui in sermonibus parum cohærentibus quædam emittunt facete dicta, jejunis mentibus escam non obliviscendam. quippe alias profuturam. Psittaci audaces, tunc de omnibus rebus judicare minime dubitant.

Alii quoque putidæ arrogantiæ homines poetæ pinacothecam adornant. Sic nummularius iste, et amator, et aulicus abbas, et garrulus, et fatuus,

Et ce Caffard m'observant en silence,
Et si sournois que l'on diroit qu'il pense.
Ce vieux Rentier, squelette octogénaire,
Malgré sa toux, fidèle à l'Opéra,
Se suspendant aux cordes du parterre,
Depuis trente ans, et vous jugeant de-là
Pièces, Acteurs, Ballets et cætera.
Et cette Eglé... « Quoi ! les Eglés aussi ?

Oh pour le coup vos fureurs sont choquantes,
Et chacun sait que nos *femmes savantes*
Depuis longtemps ne sont plus... Dieu merci ».

Hic ovans Selisius omnia lineamenta singillatim effingere, quibus duodevicesimo sæculo dinoscebatur putidæ doctrinæ muliercula, inconsulta, philosophandi studiosa, levissima. Summa prorsus similitudine arteque picta est imago; quanquam forte longiusculus labor videtur : hoc est gravissimum Selisii vitium, qui, dum omnia dicere vult, ultra modum progredi se minime sentit.

II. — Epîtres en vers sur différens sujets. (*Paris, Fournier*, 1776, in-8).

Hic est titulus voluminis quinque epistulas continentis, quarum duæ novissimæ, scilicet illæ *Epître sur les Pédans* et *Epître à Gresset*, quas modo descripsimus, jam quidem singulatim exierant; sed Selisius optimum quodque poema suum eo coegerat.

Tres vero alias Selisius in Præfatione nuntiat a se jampridem in scrinio pressas : « homines enim et poetis bonis adeo » satiatos et malis ita lassatos, ut hodie solis artis miraculis a » fastidiosa neglegentia deterreri possint; se igitur, cum » timuerit ne contemneretur, opusculis suis diligentissime » studuisse; quæ si publicanda tandem decreverit, causam » esse desperationem ne meliora fiant ». Additque vituperantibus respondens :

« Hélas ! je ne parle de moi que pour me plaindre. On peut me pardonner ce triste égoïsme. A l'égard de mes amis..., ils ont été longtemps mon unique consolation. Ils font ma gloire. J'ai babillé de ce que j'aime... Mon seul regret est d'avoir exprimé trop faiblement ma reconnoissance. Ce que j'envie principalement à Horace et à Virgile, c'est d'avoir immortalisé leurs bienfaiteurs ».

Ad immortalitatem assequendam illis, qui de Selisio optime meriti erant, minime quidem opus erat versibus ejus; sed illos adeo poetice laudat, ut inde gloria eorum minui non possit, ipsius fama augeatur.

Epistularum primæ titulus est: *Sur l'orgueil que l'on reproche aux gens de lettres de ce siècle.* Nunquam enim, inquit Selisius, de ingeniorum superbia querelæ tam palam

emissæ. Quare autem, nisi quia non satis adulantur? Sane quidem

Chaque auteur croit d'abord être au rang des grands hommes;

sed præterquam quod

... la docte Minerve et le Dieu des beaux-arts
Rejettent de leur Cour tous ces fous babillards,

nonne sunt permulti alii qui jure superbiant,

Sans relâche occupés, dans leur noble indigence,
A travailler pour nous, même sans récompense,
A seconder ce siècle en ses projets hardis?
. . . .
Eh! quels bienfaits doit-on à ces rares esprits?

Hic versuum series, in qua SELISIUS olim adorata audacter incendit. Ad VOLTARIUM enim libere accedit. Ceterum talem animi commutationem nonne jam ab DELLLE et THOMAS acceperat? Deinceps igitur, ut præstantissimus quisque illius ætatis, scholæ est philosophicæ dictæ, ac quidquid de hominum societate in melius gradatim informanda a sæculo cogitatur, id ipse, quamvis novis rebus ideo minime faveat, penitus sentire videtur. Idem religiosos affectus præcipue servat. Deinde, paucis versibus ornate et facile scriptis, quæcumque ad bonum progressio facta est, ejus picturam describit, omnes magnorum illius ætatis virorum detrectatores vehementissime increpans:

Ingrats, tandis qu'au sein des voluptés tranquilles
Vous jugez froidement leurs chef-d'œuvres utiles,...
Vous insultez au siècle où Voltaire naquit!

Postquam autem, amicum DELILLE imitatus, BORBONIOS et libertatem laudavit, voce pergit dithyrambica, quæ quidem, invito forte ipso, spiritu vere seditioso intenditur:

Art trop souvent futile, ô douce Poésie,
Tes crayons sont plus fiers, ta voix s'est affermie;
Tu chantes nos devoirs, et les travaux savans,
Et le droit de penser redouté des tyrans!
. . . .
O grands, ô riches même, ayez tous les honneurs!
L'Ecrivain qu'on admire a des droits plus flatteurs.
Vainement contre lui le Sophisme déclame:
Les Rois n'ont que les corps, il sait régner sur l'âme!

Verumenim, si scriptores isti contempti, quos optimates calcare solent ut eorum obsequium extorqueant, eo usque audaciæ progrediuntur ut Celsitudinem aliquam naso suspendant adunco ; si non hodie, sicut turpissimis illorum LAW et DUBOIS temporibus, humi serpunt ; si denique, gloria sua feroces, urbane arcent

Des Patrons familiers le faux empressement,

benignitatis quoque et munificentiæ dotibus præditi sunt, quas auctor omittere non potest, quia ipse eas expertus est. Tum durissimis curriculi sui initiis etiamque recentibus molestiis alludens, familiaribus maxime intimis grates agit debitas :

Ah ! croyez-en mon cœur, attestant leurs bienfaits !
Qui connoît mieux leur âme et les vit de plus près ?..
Mes maux n'ont donc trouvé que des mortels sensibles.
Et si chez les Auteurs, il est des cœurs ingrats,
S'il en est sans pitié, je ne les connois pas.[1].

Postremo, ad sententiam regrediens dilectissimam jamque breviter casu explanatam, scilicet ad laudandum regem reginamque et aulam, cujus opera recentis de Ambianis accusantibus victoriæ partem retulit, atque illos auctores compellans, rarissimos quidem, qui aulam, ubi parum gratiosi sunt, adhuc aggrediuntur quia minime noverunt, paucis eos admonet, ut pax inde reducatur inter homines qui invicem oderunt, odii causam neque scientes neque habentes ullam :

. . . .
O délices des cœurs, ô paix, reviens unir
Des mortels généreux peu faits pour se haïr.

Secundæ Epistulæ titulus est : *Que l'envie n'est pas aussi commune qu'on le dit*. SELISIUS poetam alloquitur nobis ignotum, nomine DORVAL, quem « tragicum amicum suum » vocat, cujus duo dramata exsibilata explosaque fuerunt. Is, ex more, invidiam insimulando, brevi sedatus est. Quis enim, exclamat SELISIUS. invisi istius monstri victimas dinumerare possit :

1. Id est alto vultu responsum illis vitiis quæ, anno MDCCLXXV, Gilbertus poeta (*Stances à d'Arnaud*), inopia oppressus, a philosophis repulsus, iisdem scriptoribus exprobrabat.

Racinium, Molerium, Pergolesum, Crebilionem, ceteros ? Sed nonne paulo longior ejus scelerum index fingitur ?

C'est un travers dont il convient de rire.

Illud facit iste scriptor, qui unicum opus a se Galliæ præparari arbitratur ; sic Chloe, quæ marchionissam ludit ; sic

Le Médecin qui n'a point d'équipage
Trotte, et soutient qu'aux plus fameux du Corps
Depuis longtemps son savoir fait ombrage,
Pourquoi, sans doute, il reste sans ouvrage,
Et ne fait pas dans un an.... quatre morts.

Non illa sunt exempla sequenda. At Selisius, illustres patronos suos iterum laudandi occasionem eam nactus, amicum insolenter consolatur, hortando sive ad secedendum, ut secessit Gressetius ; sive ad contemnendos invidos, ut contempsit Thomas ; sive ad animi tranquillitatem, illius Watelet exemplo ; sive, pro summa voluptate, si invidis ei opus sit, ad componenda aliquot artis miracula, quibus repugnet.

In tertia Epislula, quæ satira est *A mon chien* inscripta, Selisius, de mæroribus suis magis etiam querens, carissimum Médor advocat, qui dominum consoletur. Rebusque in pejus ex sententia auctis, quo vera indignationis causa tutius celetur, canem sic alloquitur :

Depuis six ans, ton zèle officieux
Sait compatir aux malheurs de ma vie,
Et dissiper, par tes folâtres jeux,
Les noirs brouillards de ma mélancolie.

Nullum autem Selisio mærorem fuisse gravem, ante illam magistri Houzé litem, constat. Nam quid ei querendum fuisset? Cum Ambiani professor esset plurimi factus, anno MDCCLXXIII, justam meritorum mercedem accepit Lutetiamque venit honestissimum optatissimumque munus obtenturus. Jam nulla unquam re nisi popularis sui Houzé hujusque partibus faventium insimulatione turbatus erat, domi quiete fruens inter uxorem canemque et passeres a Fortunatis insulis oriundos :

Je les ai vus, affranchis de leur cage,
Autour de toi voltiger librement,

T'importuner de leur bruyant ramage,
Te harceler impétueusement,
Et becqueter ton oreille pendante,
Ou bien, montés sur ta croupe indulgente,
Venir vers moi majestueusement.

Sed HOUZÉ inimico nequitiam et delationem minime condonat, nec magis pericula quibus propter eum obnoxius fuit, adeo ut pæne infamis fieret. Quod si canis domum a furibus tuetur, sua eum natura vel minimi discriminis monente, at

Pourquoi, Médor, la nature propice,
Qui t'a doué de sens si délicats,
Dans sa faveur, ne permet-elle pas
Que ton courroux à propos m'avertisse
De craindre aussi l'hypocrite malice
Des délateurs, des fourbes, des ingrats,
Du faux ami qui me presse en ses bras,
Et, contre moi secondant l'injustice,
Me plaint tout haut, et me trahit tout bas !

Stomachari SELISIUS et jam hominem non nominare, sed durius lacessere quam in infausto anni MDCCLXXV epigrammate. Ut tamen omnem casum deturbet novasque persecutiones effugiat, illos versus plus decem annis antea scriptos animadverti prudenter jubet. Sed nullam fidem facit, nimis recta lucidaque alludendi ratione usus. Nam, dum canem alloqui pergit, HOUZÉ sane ipsum aliquot versibus lacerat indignationem spirantibus, ubi declamatio quidem forte occurrit, sed quoque vis et affectus, verus denique impetus :

Quelle eût été ta bouillante fureur,
Quand, l'œil au Ciel,....
. . . un Caffard ridicule
. . . .
Pour mon salut vouloit m'ôter l'honneur !

Subita autem commutatione, amicum THOMAS inducit, carissimum THOMAS, qui eum invisit ut consoletur. Cum illo, nulla jam sunt mala ; cumque in amicitiam tanti animi receptus sit, felix est, hominum misericordiam despicit, invidendus esse sibi videtur :

Mais où vas-tu, par la joie emporté ?
. . . . . C'est Thomas, c'est ce sage,
C'est mon ami que je vois, que j'entends,

Qu'ont aperçu tes yeux vifs et perçans.
Il vient, il va ranimer à sa flamme
Le sentiment presque éteint dans mon âme...

In his omnibus SELISIUS morosus apparet aliquantumque generi infensus. Id enim odium, quo magistrum HOUZÉ persequitur, ipsum nunquam deseruit, atque propter istud negotium per reliquam vitam semper mæstior fuit. Eundem, quemadmodum iracundiæ pertinacem, ita et bonum amicum et beneficiorum memorem fuisse omnes fateri debent, quod ex illis epistulis, vero animi affectu scriptis, manifeste apparet.

CAPUT III

I. — Poeticæ chartulæ in Almanach des Muses editæ. *(1775)*.

Harum prima in delicatis consistit versiculis ad virgines DE SEVELINGES, præcipui tributorum coactoris filias, missis et veri similiter ex aliqua poetica SELISII cum DELILLE certatione aut sponsione ortis. In fronte eorum inscriptum est : « *A Mlles* DE SEV.*** ».

Per eos versiculos, duodecim numero, SELISIUS Amorem quodam die ostium suum mane pulsantem sibique malum illud, quod olim Veneri a pastore oblatum erat, e muliebri matris mundo raptum afferentem inducit. Deus poetæ suadet ut ad CHLOEN ejusque sororem adeat, atque Amoris jussu blandum illud præmium pulchriori afferat.

. . . .
Tu te trompes, dis-je, en un point :
Egalement on les adore,
Reprends la Pomme : il n'en faut point,
Ou bien il en faut une encore.

DELILLE vero, minus prolixus, quattuor his contentus fuerat :

Si Cloris est charmante, Eglé n'est pas moins belle,
Entre ces deux objets mon cœur reste flottant,
Ne m'en montrez qu'un seul, je vais être fidèle,
Montrez-les moi tous deux, je vais être inconstant.

Altera chartula, *ad Mlle* DE RAV.*** DE TOUL missa, diei festi gratulatio est, in qua scriptor, cum virginis patronam, sanctam

Aphroniam, nomine tantum noverit, virtutes ejus discernere quærit. Nugæ istæ, multo longiores, nihil præbent, nisi mediocria, præsertim quod ad stilum attinet. Ibi enim reperiuntur omnes istæ locutiones, omne glossarium istius levis poeticæ Gressetii quidem mori accommodatæ, sed adeo absoletæ :

. . . .
Joignoit-elle au plaisir de plaire,
Et de la gaieté sans accès,
Et de la vertu sans excès,
Et tous les dons du caractère ;
Oh bien ! alors je la connois ;
Elle est encore sur la terre.

Brevius quidem, sed nescio an minus insulse putideque, Selisius *ad Vicecomitissam* de Polignac hæc dicit :

Si ce grand Cardinal qui réfuta Lucrèce,
Et qui parloit si bien latin,
Eût pu voir les attraits de sa charmante nièce,
. . . .
Peut-être, abandonnant son cœur
A la pente de la nature,
Il seroit, malgré sa rigueur,
Plus indulgent pour Epicure.

Rectiore autem modo, quamvis sine ullo summi ingenii signo, ex tempore fusi sunt in Cantiliacensi pinacotheca versus, *ad Principem* de Condé compositi, quibus alluditur inclitæ illi tabulæ in qua Memoria dea omnia ad civiles tumultus pertinentia ex magni Condé rebus gestis avellit :

Quand la déesse de Mémoire
Recueillera tous tes hauts faits,
Sa main, de ta brillante histoire,
N'arrachera point de feuillets.

Alii delicati versus, *ad Ducissam* de Caylus dicati, sententia quadam Comitissæ de Caylus (tunc mortuæ) illis *Souvenirs* lepide alludente, satis eleganter concluduntur :

. . . .
Vous cachez votre esprit sous l'air du badinage ;
Et sans avoir écrit d'ouvrage,
Vous laisserez aussi d'aimables *Souvenirs*.

Epigrammata duo numerum explent. Unum, *ad* MAZADE missum, nihil habet quod non aliquantum vulgare sit, nisi tamen satis industriæ excipias. Plutus inducitur, qui, cum sit cæcus ac sæpe opes suas temere dispertiat, semel quidem se virtuti munera largitum comprobare gestit :

> Le Dieu Plutus, las de mainte incartade
> De ces humains si prompts à condamner les Dieux,
> L'autre jour en montrant le vertueux Mazade,
> Disoit : « Mortels, voyez si j'ai des yeux ».

Alterum, quod editionis tempore tertium est, ex Clementis MAROT et Johannis Baptistæ ROUSSEAU more satis callide assimulatum, parvum quoddam artis miraculum esset, nisi, quanquam tredecim tantum versus continens, longiusculum esse videretur : scilicet illud de magistro HOUZÉ scriptum. Itaque, cum jam primos et novissimos illius epigrammatis versus, omnium sane optimos, supra laudaverimus, hic reliquis citatis minime opus esse arbitramur.

II. — Varia

Sub hoc titulo, ne quid neglexisse videamur, pauca neque ullius fere momenti carmina hic memoramus, de quibus supra (p. 30) dictum est : quorum si quis præcipua cognoscere voluerit, ea, in *Appendice* nostra inveniet.

PARS ALTERA

DE SELISIO PROSÆ SCRIPTORE

CAPUT PRIMUM

Antequam consideramus qua scribendi ratione peculiariter usus sit SELISIUS, expedire nobis visum est quæ ex latino sermone gallice transtulerit curatius disserere.

DE SELISIO TRANSLATORE :

I. — Traduction du Prologue et de la première Satyre de Perse.
(*Paris, Delalain, rue de la Comédie Françoise*; *Amiens, Godart, rue des Rabuissons, 1772,* in-8).

Primum quidem Persianarum Satirarum Prologum SELISIUS vertit. Quem si quis totum legerit, omnia ibi ad litteram expressa atque admodum fideliter reddita esse nullo pacto negari possit. Omnes enim latini poetæ sententiæ, quales exprompta, tales diligenter satisque ornate relatæ sunt. Deest tamen illud nescio quid poeticum quod poeta unus tradere solet. Nam poetarum translatio, quamvis pedestri sermone fiat, poetici ingenii aliquid redolere debet.

SELISII autem prosa oratio expedita quidem, sed humilis est. Immo poeticam latinæ scripturæ conformationem, retinendo verborum loco, quæ sæpe tam faciliter ad insequentem versum rejecta sunt, conservare nescit noster, nec sententiarum quidem.

Sic « *je ne me souviens pas*, inquit, *d'avoir dormi sur...* ». Quare latinum ordinem non custodiit: « *Jamais je ne rêvai sur.., je n'en ai nul souvenir* »? Inde vividior et venustior fit oratio. Idem notabimus de hoc, quod sequitur : « *J'abandonne et les Nymphes de l'Hélicon et la pâle Déité de Pirène...* »; rectum quidem illud est, sed latinus habitus

non repræsentatur : « *Quant aux sœurs d'Hélicon et la pâle Pirène, je laisse leurs faveurs...* ». Quod ibidem superest, lentum et humile : « *à ceux qui ont des statues caressées par une couronne de lierre* ». Quanto præstat hæc a COURTAUD-DIVERNERESSE facta translatio [1], quam conferendi causa libentissime citamus : « *à ceux dont un lierre flexible caresse les portraits* »*!* Illud est expeditum et delicatum scribendi genus, quod cum lepore et elegantia latinæ figuræ valde congruit. Hic breviter aminadvertendum verbum « *flexible* » [*sequaces*], quod figuram præbet, a SELISIO non esse translatum. « *Demi-villageois* » [*semipaganus*] pro « *demi-profane* », scilicet nondum cum Musis conversatus, verbum est parum felix et, Persiano more, subobscurum. « *Qui a pu apprendre?... C'est la faim, grand maître qui donne de l'esprit aux bêtes...* ». — « *Qui donne de l'esprit aux bêtes* », quo transfertur « *ingenique largitor* », sententiam quidem reddit, sed verba celat. Nec magis « *venter* » rejectum in proprio loco servatum est. « *Et sait les faire parler en dépit de la nature* ». Hic quoque sententia refertur, sed adeo prolixe, ut jam fere non agnoscatur. Alteram nunc conversionem confer : « *Le maître de l'art, le prodigue auteur du génie, la faim, qui, habile artiste façonna la voix aux accents qui lui furent refusés* ». Legenti linquo decernendum, utra sit anteponenda, nec rem credo difficilem fore. Posterior prorsus, magis genuina simul et ornata, quidquid pulchri latine dictum est, repræsentat. Moror in hoc « *qui sait les faire parler en dépit de la nature* ». Extortum illud amplificatumque est, neque ullam partem reddit hujus « *negatas artifex sequi voces* », tam pulchri, tam poetici. Quid etiam sibi volunt ista « *chants mélodieux* » ad transferendum « *Pegaseium melos* »? « *Des accords dignes de Pégase* » locutio est multo magis cum ad verbum expressa tum ad sonum exquisita.

Notulæ vero scripturam comitantes plerumque justæ sunt et consideratæ. Præterea modice datæ, rarissimo apud scholiastas merito, quorum ars fere omnis in religiosa excerptione consistit. Denique nulla inest eruditio putida aut nimia veterum admiratio, quæ laus ceteris ejus translationibus pariter convenit.

1. Edidit NISARD, anno MDCCCLXXXI.

In prima Persii satira vertenda, Selisius alternum sermonem, communiter habitum, ita dividit ut nova lectio priore scriptura nitidior esse videatur. Attamen ista dividendi dialogi ratio aliquid æquo liberius habet. Quid autem dicam de universa Persianarum cogitationum intellegentia ? Res est formidandi operis, cui sufficiendo philologa opus sit eruditione, qua me minus instructum esse fateor.

De primis illis versibus a Selisio translatis pauca tantum, judicandi gratia, animadvertemus. Nam si qua prolixe aut vulgariter expressa esse prius videntur, alia deinde rectius scripta, sine ullis salebris natura fluunt. Ibi latini sermonis vis et pulchritudo nequaquam quæsita coactave fidelitate referuntur. Mihi saltem res ita se habere videntur. Ceterum critici, per *Mémoires de Trévoux*, pro comperto tradiderunt illam Persii prologi et primæ satiræ conversionem pari intervallo a paraphase atque a summa verbi verbo exprimendi diligentia distare : id esse medium inter servilem coercitionem et libertatem immodicam, auctore Rollino, tenendum, quo munere interpretem prudentissime functum esse ; hinc enim, « Persio longius circumducendo,omnem tolli sententiarum subtilitatem commentariumque in scripturam induci ; illinc, totidem verbis transferendo, tenebras tenebris mutari ».

II. — Satyres de Perse traduites en François avec des Remarques.

(*Paris, Fournier*, 1776, in-8).

Cum ad Satiras Persii gallice vertendas accessit, Selisius duos habuit æmulos, Lemonnier abbatem et Dreux du Radier.

Prioris, qui uni verborum significationi studuerat, aspera, dura, inelegans, illepida erat translatio. Alter vero Persium et prosa et versibus transtulit. In prosa, nulla exemplaris neque elegantia neque vis nec concinnitas nec præsertim subtilitas reperitur. Sed versus legendo maxime sentitur auctorem nunquam fonte caballino, ut ait Persius, labra proluisse. Poeticum enim ingenium nec doctrina nec labore suppleri potest. Quod si latinæ linguæ rudes persuasum haberent non plus coloris venustatisque apud Persium ipsum quam in ejus translatione inesse, graviter fallerentur.

Superiorum autem peccata SELISIUS, ut jam diximus, facile vitavit. Etenim, multo studio et limæ labore, quinque satirarum ultimarum conversionem priore tirocinio longe leviorem etiam elegantioremque fecit. De hoc opere ipse LA HARPE in suo *Cours de Littérature* disseruit, confirmans operæ pretium esse Persium enucleari, atque eos qui latine nescirent, laudandam SELISII translationem notulis commentationibusque pariter utilibus adauctam legendo, certiores fieri posse romanum poetam vere egregium fuisse scriptorem omninoque dignum a quo BOLÆUS plura lepide dicta, plures eximios locos, haud infeliciter mutuaretur.

III. — Petite Guerre entre M. l'abbé Le Monnier et M. Sélis.

(*La Haye et Paris, Fournier* 1777, in-12).

Sententiarum ordo requirit ut hic exponatur quæ nova SELISIO scripta orta sint ex illis Persii translationibus. Eæ epistulæ sunt quas ad abbatem LEMONNIER scripsit aut ab eo accepit, quasque collectas ipse uno volumine edidit.

In prima autem hujus voluminis epistula, quæ est abbatis, a. d. XIII Kal. Jun. anni MDCCLXXVI data, hic principio SELISIO grates agit quod sibi propriæ ipsius Persianæ translationis exemplar benigne obtulerit ; deinde, ut promisit, pro se causam dicit eum invicem reprehendendo de quibusdam reprehensionibus, sua sententia parum æquis, quas olim sibi misisset propter suam ejusdem auctoris translationem.

Inter alia crimina, SELISIUS abbatem insimulavisse videtur, quod latinum poetam barbare et plerumque infideliter ad verbum convertisset. Repugnat abbas ipsa propriæ præfationis suæ verba citando : « *Je me suis borné au mérite de traducteur platement exact, encore reste à savoir si je suis exact* ».

Deinde abbas LEMONNIER æmulo vitio tribuit sua transcripsisse, asseveratque ejus dicendi genus, ubi nihil a se mutuatus sit, adeo elegans, subtile, suave, concinnum fieri ! Quod ut comprobet, excerptis aliquot ex tertia satira versibus (*Magne pater divum*, etc.), irridens exclamat : « *Comme Perse s'embellit en passant par vos mains, et que vous connaissez bien l'art des liaisons* » !

Istiusmodi reprehensiones, quantumvis lepidæ sint, facile de qualibet translatione multiplicari liceat, sicque in immen-

sum perseverare haud malus abbas potuisset. Pergit enim, eodem utens ambitioso putidoque modo, sed sua citando :

« Seroit-ce vous offenser, Monsieur, que de transcrire ma traduction à la suite de la vôtre ? Je ne le crois pas. Quand un géant se montre à la foire, il n'est pas fâché qu'un petit homme s'approche de lui... ».

Offensus, ut par erat, SELISIUS repugnavit, atque a. d. VI Idus Mart. insequentes, multa respondit, inter quæ hæc dixit :

« Forcé de faire mon apologie contre vous, je m'engage à prouver, 1° que toutes vos observations, une seule exceptée, celle qui regarde une contradiction qui m'est échappée, au sujet du vers *Censoremve*, de la troisième satire, sont sans justesse ; 2° que vous n'avez réussi vous-même en aucune manière dans votre traduction ».

Mox alio spectantia aggressus, SELISIUS abbatem Terentii *Eunuchum* totum gallice vertisse criminatur, quod longe gravius sit quam quæ ipse in Persio suo reliquerit : ceterum se falso insimulari, cum ibi Censor nihil invenerit publicæ honestati contrarium. Additque :

« Sans doute j'aurai bien des choses à corriger, s'il arrive pour me servir de vos expressions, que ma première édition s'épuise, et que j'en donne une seconde. Mais, à mon tour, pardon de ma franchise : ce que vous reprenez, restera tel qu'il est, quelque imposant que soit le ton avec lequel vous me reprenez... ».

Hæc jure scribebat SELISIUS ; nam, ut supra diximus, ubi altera Persii editione opus fuit, ipsius translatio, non æmuli, electa est.

IV. — Dissertation sur Perse. (*Paris, Fournier*, 1783, in-8).

Persianis Satiris gallice translatis, SELISIUS natura inducebatur ut, aggredienti DUSSAULX respondendo, suam de latino poeta opinionem palam expromeret. Itaque utrum Persius dignus sit qui legatur, an qui in contemptionem veniat : hanc quæstionem, ad homines antiquitatis studiosos pertinentem, enucleandam sibi proponit. « A DUSSAULX quidem laudes » æquabilitatis specie illi poetæ tributas omnino sub condi- » cione stare, scilicet multo minus ex eo pendere quod » Persius fuerit, quam ex eo quod fuisset, si vixisset [1]. Se vero

1. Duodetriginta annos natum obiisse constat.

» interpretem censere, si Persius dignus sit qui post Horatium
» Juvenalemque honorifice nominetur, non male sibi electam
» fuisse studii materiem. Si contra in grege Baviorum et
» Mæviorum annumerandus sit, pejorem esse suam quam ejus
» fortunam : se enim, præterquam quod ineptias ejus inter-
» pretando tempus et operam perdiderit, quendam eo stultio-
» rem etiam invenisse, scilicet semetipsum, qui eum miraretur.
» Namque sibi, invitis detractorum ejus vituperationibus,
» ingentem erga eum mirationem mansisse; quem animi
» affectum adeo sincerum et vividum esse, ut vel unus, nulla
» offensi pudoris ratione habita, impelleret se ad causam ejus
» orandam. Proinde se illo munere pro virili parte esse func-
» turum, quanquam novo suo utriusque adversario reveren-
» tissime, ut sibi mos sit, usurum.

» Ut autem legentibus in promptu ponat utiliane Persius
» tractaverit simulque proposita recte conceperit, se primo
» rem relaturum atque singularum satirarum descriptiones
» excussurum ; quæ præcipua postquam probaverit, locos ita
» longos crebrosque citaturum, ut scribentis ratio existimari
» possit. Deinde de iis auctoribus, ceterum infirmioribus
» plerisque, qui sibi objiciantur, disputaturum ; contra quos,
» censoribus suis alios auctores maximi momenti oppositurum.
» Denique iis responsurum quæ sibi a Dussaulx peculiariter
» contradicta sint, cujus viri meritum libentius agnoscat quam
» ipse tertio Romanorum satirico debitum tribuat ».

Descriptum propositum Selisius secutus est.

De Persii obscure dictis disserens, quattuor eorum causas profert : primam, peculiarem illius ingenii naturam ; alteram, eam diligentiam qua tela texit in Neronem missa; tertiam, longinquitatem illorum temporum, quibus scribebat; quartam, eam libidinem qua operis scriptura in codicibus habita esse videtur, et revera fuit in primis editionibus prelo subjectis. Adde crebras ellipses, transitiones subitas, insolitas imagines metaphorasque : inde in primis oritur intellegendi Persii difficultas, quem scriptorem indoli suæ diffidere oportuit.

Perorando Selisius Delille abbatem obtestatur, « cujus
» carissima amicitiæ necessitudo non obstare debeat, quin
» debitæ laudes judicii excellentiæ et poetici ingenii præs-
» tantiæ palam tribuantur. Atqui amicum Delille, hortando
» se ad convertendum Persium, sibi non semel ostendisse

» quanti ejus satiras existimaret. Ipsum eas in Collegio Regio » interpretatum esse, idque semper plurimis audientibus, cum » a poeta latino tum ab interprete maxime delectatis ». Revera quidem ; nam, si hodie Persianis satiris minus quam olim plerique delectantur, saltem qui eas legere gallice velint, SELISII magis quam cujuslibet æqualis hujus translationem requirant.

V. — Traduction de l'Episode de Narcisse.

(*Paris, chez Aubin, rue Neuve-des-Petits-Champs*, 12, 1795 [an III^e], in-12).

Hæc est causa cur SELISIUS illum Ovidii locum, versus nonaginta tres numero continentem, gallice vertendum susceperit. Anno MDCCXCV, iterum exiit carmen inscriptum *Narcisse dans l'Isle de Vénus*, a MALFILATRE compositum. Editor, postquam in præfatione declaravit se eo diligentissime incubuisse, addit sibi visum esse necessarium, cum aliis rebus, tum præsertim translatione ejus *Metamorphoseon* loci, qui ad præsentis poematis materiem pertineret, opus idem augeri.

« La comparaison du texte latin, *inquit*, qui est à côté, fera mieux juger du mérite de cette traduction si difficile, quoiqu'elle semble si aisée par le talent qui l'a su rendre telle ; faite exprès, d'ailleurs, pour enrichir cette nouvelle édition ».

Nequaquam immodicis laudibus editor utebatur. Illa enim aliquot Ovidii versuum translatio, quamvis difficillima fuerit, usquequaque absoluta perfectaque est. Utique Persii conversionem multo superat. Quamobrem, ut liqueat quantum SELISIUS auctores suos, in primis Ovidium, intellexerit senseritque libenter, satis erit si pauca hæc citaverimus :

« La Renommée remplit les villes d'Aonie du nom de Tirésias. Les réponses qu'il donnoit aux peuples empressés, n'étoient point mensongères. La première qui éprouva combien ses paroles méritoient de foi, fut une Nymphe des mers azurées, la belle Liriope, qui, un jour, enveloppée par le Céphise replié de toutes parts autour d'elle, succomba sous sa violence au sein même des ondes. Devenue mère d'un enfant qui pût de bonne heure inspirer de l'amour, elle l'appela Narcisse, et le devin à qui l'on demanda si Narcisse atteindroit à une vieillesse reculée, répondit : « Oui : s'il ne se connoît pas ».

Quid plura ? Nonne talia omne punctum ferunt ?

CAPUT II

DE SELISIO FAMOSORUM LIBELLORUM AUCTORE:

L'Inoculation du bon sens. *(Londres*, 1761, in-12).

Cum in Gallia jam aliquot annos plurimum ageretur de imitando Anglorum more, qui morbi cujusdam, nomine variolæ, virus hominum membris inoculabant, idque præsumendi remedii causa, quia permulti ea pestilentia ægrotabant, — quod medendi genus a VOLTARIO importatum LA CONDAMINE ipse et TRONCHIN summa doctrinæ auctoritate fovebant, — ea fuit causa cur SELISIUS, in opusculo paucis probaturus aliud animi malum, non minus formidandum, quo exedimur, neque in nostro neque in avorum sanguine insidere, sed in capitibus nostris jacere, hunc libello titulum præscriberet: *L'Inoculation du bon sens.*

Adversatio ejus GRIMM nostro displicuit, qui in sua *Correspondance* [1], istam esse scripsit insulsam chartulam COHIER abbatis nugis similem, atque ipsum auctorem propriæ inoculationis [2] immemorem jure haberi. Sed istius modi sententia plane immodica est, quam expromendo GRIMM, ut sæpius solebat, mentis acumini, non veritati indulsit.

Hic contra SELISIUS singula quæque vitia quam sollertissime reprehendit. Suam enim habet morum disciplinam, scilicet tenacem propositi virtutem, qua duce æqualium instituta ususque judicat. Cumque omnia, velut e summo rationis et justitiæ vertice, perspicaciter observet, ostendere conatus quid boni aut mali in consueta hominum agendi ratione insit, clarissimam inde lucem mentibus nostris offerre gestit, qua illustrati, conspectis veris vividisque ejus descriptionibus, jam quibus laboremus malis et quanta sit iis medendi necessitas, agnoscere cogamur. Hæc quidem laudis cupiditas vel

1. T. IV, julii mensis, anno MDCCLXI.
2. Constat ipsum LA CONDAMINE, ut sibi adversantes plane refelleret, sponte corpus obtulisse inoculandum: quam probandæ opinionis rationem, ut aiebat DELILLE (*Discours de réception*), pauci philosophi periclitarentur.

sola magno fit honori adulescenti litterarum perito : haud citra autem stetit Selisius.

Sana mens, inquit, duodevicesimum sæculum deficit : unde vere oriuntur omnia mala quibus afficitur. Quidquid enim, ævo superiore, seu recti seu pulchri sive augusti sive sacri fuerat, nova ætate incipiente, evanuit. Nulla jam religio, nulla bellica virtus, nullus honor, pudor nullus, nulla modestia : quibus pro virtutibus subierunt vigentque et inconstantia et impietas et munditiæ et vanitas et lascivia et calliditas et ambitio et sexcentæ istius modi pestes, quæ nos ludibrium spectantibus faciunt.

« Je n'ai pas quarante ans, *inquit ab initio libri,* et je ne reconnois plus ma nation. On ne parle que par équivoques ; on ne pense que par distraction ; on n'écrit que par épigramme ; on n'agit que par étourderie ; l'esprit bref triomphe de la raison ; la futilité fait taire le génie. Les Adonis sont les hommes du jour ; on les flaire comme le jasmin ; on les admire comme le rubis ; on se plaît à les voir pétiller comme le vin de Champagne ».

Hoc profecto nemo nec melius dicat, neque aptioribus aut vividioribus coloribus depingat quid sit duodevicesimo sæculo proprium, quidve idem a septimo decimo præcipue abhorreat, quo maxime Selisius delectatur. Nam liquet, a quinto decimo duodevicesimi sæculi anno, quo magnus ille Rex exstinctus est, jam in morem cessisse ut plerique in circulis quotidie versarentur eamque vitæ consuetudinem haberent quasi necessariam. Ab aula in urbem delapsus hic usus invaluit.

Ita cuique duodevicesimi sæculi circulo suus est philosophus, sicut singulis prioris sæculi cœtibus litterati viri fuerant. Per hos autem philosophos, in splendidam otiosorum hominum societatem etiamque in sedes regno proximas, infesta regi Deoque mens propagatur. Quibus indicto bello, e famosis Voltarii libellis Encyclopædiaque, velut e justo armamentario, tela hauriuntur. Proinde nihil seu vitiatum seu venerandum habitum annisve sacratum est, quod jam acerbissimo rationis judicio tanquam cribro non excernatur.

Ista autem rerum humanarum quasi renovatio candidæ Selisii menti valde displicebat animumque futuri providum gravi angebat mæstitia. Ceterum ægerrime fert ipse immodicum illud munditiarum studium, quod in libris æque apparet atque in veste et cultu universæ istius juventutis ingenio

carentis : quapropter humano generi locum « inter homines et simios » assignandum censet, non tam veridico quam insulso dicterio.

Namque, duodevicesimo sæculo, quemadmodum vestimenta, sic et ingenia hominum diversissimis formarum generibus ornata quidem fuerunt, ut amaris VOLTARII salibus, gravissimo hujus MONTESQUIEU risu, amatoriis illius MARIVAUX sermunculis. Sed ea diversitas ex cogitationibus tum primum conceptis oritur, omnino conversa videndi, judicandi, sentiendi ratione. Quare eidem sæculo non fuit ambiguum, utrum priorem ætatem deformatam referret, an viam sibi propriam per ficticia commenticiaque muniret.

« L'Opinion est la reine du monde, *ait post* PASCALIUM SELISIUS ; mais la mode est la nôtre... ». *Et paulo infra* : « Nous nous rions des mœurs des étrangers et nous n'avons que des ridicules à leur offrir... Des Prélats galans ou fanatiques, des Auteurs sans pain ou sans talens, des femmes sans beauté ou sans pudeur, des jeunes gens sans esprit ou sans modestie : avouons que voilà une belle collection, et qui ne peut manquer de faire tableau aux yeux de l'Etranger qui voyage ».

Hoc quidem spectaculum revera minime pulchrum est. Nam quod ad clerum solum attinet, fatendum est sacerdotes neque vivida neque integra fide excelluisse. Tunc temporis plurimum vigebat mulierosus abbas, abbas circulorum sectator, versus latinos venuste, gallicos belle scribere assuetus, abbas ab Ecclesia perurbanus, putidam prioris sæculi curiositatem repræsentans. Necdum longe aberat tempus, cum mulierculas amicas habere maxime deceret episcopum.

Attamen veritatis respectu illud quoque dicendum est, scilicet peregrinis, Britannis præsertim, quorum « nondum rem numerariam neque navalem artem neque philosophiam neque agrorum culturam imitati eramus [1] », obvia fuisse, duodevicesimo sæculo, in Gallia, alia ac ridenda. Mirabantur contra patriam nostram etiamque amabant illi et minister DE BERNSTORFF, et baro DE SCHEFFER, et WILLIAM PULTENEY, et genevensis SALADIN, qui, dum ad nobilissimam illam matronam DU DEFFAND, cujus cenis olim accumbere solebant, epistulas scribebant, Lutetiæ urbi esse futuramque semper quandam rerum

1. Epistula a VOLTAIRE ad Dam DU DEFFAND, missa a. d. III Non. Dec., anno MDCCLIX.

copiam, unde omnia haurire perpetuo facillimum fieri, dictitabant.

His nobilium aliquot peregrinorum testimoniis, quos morum et ingenii nostri illecebræ prope fascinaverant, gentis nostræ, recte sapiendi et honeste conversandi magistræ, lenocinium simul et auctoritas egregie notantur. Qui autem exquisitos hujus modi hospites honorifice excipere plerumque solebant, quique in mentes admirantium ipsos meritoque intellegentium perpetua illa injiciebant desideria, de quibus cuncti memorabant, scilicet « illum Lutetiæ amorem illamque relictæ urbis pænitentiam, quibus animi affectibus melior pars vitæ suæ constitueretur », ii erant et Montesquieu præses, vir gravissimus sollertissimusque et lepidissimus, et Hénault præses, et d'Alembert, summus ingenio vir, et eques d'Aydie, et Formont, et postea Voltarius ipse.

Verumtamen inter tot tantasque laudes secum concinentes vox una discrepat, quam emittit Walpole, anno MDCCLXV Lutetiam advectus. Is enim, Britannia profectus quod indigne ferebat se non omnia quæ cuperet ab amico Conway impetravisse, in quadam epistula suum humani generis odium prædicat, magis lepida quam gravi et sincera hominum vituperatione : « Utcumque, inquit, me huc non venisse nollem ; nam, cum in Britannia vivere mihi definitum sit, magnum levamen est Gallos vidisse multo magis, quam ipsi sumus, esse contemnendos [1] ».

Horum certe nihil sentiebat Walpole, sed stomachabatur. Ceterum illud quoque fatendum est, neque acerbas magistratuum de re publica aut privatorum de religione disputationes, neque profusam ærarii dissipationem, neque arrogantem regiarum amicarum præstationem, neque minaciter omnium opinionem expergefactam, neque philosophorum audacius asseverata, neque nimiam istam sententiarum et morum ostentationem ejusmodi fuisse, unde ad quidquam laudandum incitaretur homo vituperare paratus Galliamque cernens per ocularia vitra bile suffusa. Ita Gallorum inter se societatem senescere ex pluribus jam signis apparebat, quæ idem perspexit et severa dicendi libertate retulit.

Et Selisius, quattuor annis antea, pariter sentiebat ; qui,

1. Cf. *Correspondance de M^me du Deffand*. Introduction, p. 171.

etsi non easdem quas WALPOLE causas habebat cur Galliam odisset, tamen, cum christianus esset probus et christianam fidem persuasam haberet, suum esse arbitrabatur omnibus istam gangrænam indicare, quæ patriam exederet. Nec defuit huic officio ; ejus est enim illud quoque graviter dictum :

« Nos mariages, fruit de l'intrigue, de l'ambition et de l'intérêt, paraissent toujours le dénouement d'une comédie ».

Dum rex in tutela fuerat, hominum mores, severis prioris regni disciplinis liberati, imperatam quindecim annorum pietatem lascivia repensaverant. Universa omnium corruptela exsurgebat, semper altius exstans, sicut ignominiæ plenum pelagus, impura voragine omnes antiquas illas virtutes submersura, quibus sublatis, nulla est jam familia, nulla societas. Nec jam quidquam erat connubium nisi ritus, nihil fides nisi risus. Ad sacros feminarum conventus ibant amicas rapturi, sicut marchio DE RICHELIEU vel princeps DE LÉON, qui e monasterio Filiarum Crucis, in suburbio SANCTI ANTONII nomine dicto, virginem DE ROQUELAURE eripuit. Sic omnia contrahebantur præclara ista matrimonia cum præclaris istis maritis ; sic erant omnibus istis pulcherrimis mulieribus istiusmodi amatores, quales fuerunt duces DE RICHELIEU, DE RIOM, DE SOUBISE, vel principes DE CONDÉ, DE CONTI, et ceteri.

« O quam egregiam incolitis terram (scilicet Britanniam), — exclamabat, ultimum ardentissimi pectoris desiderium exhalans, AISSE puella, — qua in terra tum fit connubium, cum sincerus adest amor, cum amantes adhuc invicem amant ! Utinam et hic eadem agerentur [1] » !

SELISIUS vero, utpote qui omnia in pejorem partem nimis raperet, vel in CAPUCINOS et CARMELIOS impetum facit, ad quos usque patescere ait futilitatem nugarumque pestilentiam. Additque etiam :

« Les prédicateurs eux-mêmes parlent de nos dogmes comme une coquette de ses amours ».

Sacrorum enim oratorum virtutes inclinatam in pejus facundiam redolent. Christiana eloquentia eodem discedit gradu

1. Cf. *Lettres de Mademoiselle Aïssé à Madame Calandrini*, p. 152. (Parisiis, apud JOUAUST, MDCCCLXXVIII, in-16).

atque animus christianus. Maxime vitio verti potest illius temporis prædicatoribus, ambitiosis fuisse et lepidioribus, religionis ignaris et diligentiæ expertibus. Oratio sacra nihil jam nisi spectaculum aut ludi declamatio, nec quicquam inde petit orator præter honestum successum. De vero, de orationis vi et effectu minime curat, dum recte prædicavisse dicatur. Ars et mens profana sacram orationem invadunt, quæ mera fit spientiæ explicatio, plus minusve ingeniosis mirisve luminibus ornata. Prædicatoris enim, principisque MASSILIONIS, pessimum illud est vitium, propter quod hic a VOLTARIO et LA HARPE et Encyclopædistis ante omnes ponitur, ut, sublato dogmate, vix laudata Scriptura, de moribus aut philosophia, fere de communi vitæ ratione, usquequaque prædicet. Quo ex genere dicendi si traditas more formulas exemeris, nullo jam modo christianus ibi sentitur.

Sed postquam suum librum *De l'Esprit* scripsit HELVETIUS, quo in opere philosophiæ mentem sensibus virtutemque utilitate metientis parum nova, immo notissima, præcepta peculiari auctoris modo traduntur, satiricus noster vehementissimus, lecto hoc volumine, summa excanduit indignatione. Breviter igitur repetitis et illius *Journal chrétien* et ambitiosarum episcoporum ad fideles epistularum insectationibus, quibus perniciosus iste liber « vapor ex abysso ortus », scriptor « leo virtutem aperta vi petens » et « anguis insidians » appellabatur, SELISIUS his pervicacium injustorumque censorum clamoribus vocem admiscuit.

Ita, quia geminam hanc veritatem demonstraverat, nos nihil mente concipere nisi quod prius sensibus perceperimus, atque sive ad virtutem sive ad voluptates felicitatis propriæ appetitu impelli, HELVETIUS eadem habebatur ratione, qua cum GALILÆO actum est, quod is terram verti docuisset. Idem, postquam genu flexus veniam petiit, surgens dixit : *E pùre si muove!* Quo posteri comprobato, quo doctiores fient, eo magis HELVETIO assentientur.

Alioquin hæ sententiæ haud recentes erant. Prior enim, quæ jam apud Aristotelem et Epicurum invenitur, a LOCKIO explanata erat, cujus philosophi ingens fuit duodevicesimo sæculo auctoritas. Altera vero, quæ virtutem utilitate metitur, jam in Gallia etiam acerbius defensa erat, siquidem in ea ipsa

nititur liber ille qui gallice *Maximes de Larochefoucauld* inscribitur. Proinde nonnulla eorum quæ Selisius hic aggreditur, jam septimo decimo sæculo reperiebantur, quod vitium aut non vidit aut videre noluit, quo melius suæ causæ consuleret.

Paulo infra legentibus occurrunt quædam generatim exposita, sicut hoc, quo vulgaris refutatuque facillima animi omnia in pejus trahentis sententia patescit :

« On a tout mis en Dictionnaire, excepté nos folies, parce qu'on sait qu'elles formeroient des in-folio, et que nous ne lisons plus que des brochures. L'abbé tout musqué dit son bréviaire dans *Candide* : le militaire lit son Code dans le *Portier des Chartreux* ; le magistrat étudie son *Cujas* dans le *Sopha*, et le moine se règle dans l'*Académie des Dames* ».

Ex his quidem pessime protervis duodevicesimi sæculi operibus sic acervatim congestis, mente concipere possumus, quo usque illius ætatis studia depravata essent. Sed profecto erant tunc milites, qualis fuit marescalcus de Saxe, qui codicem legerent in libris aliis atque iste *Portier des Chartreux* erat, aut magistratus qui Cujatianum jus in operibus aliis atque erat *Sopha* istud Crebilionis junioris, ut Malesherbes, Encyclopædiæ tutor, cujus exstant scripta non modo virtutis et probitatis affectibus, sed etiam gallici sermonis integritate et concinnitate præstantissima.

Ut vero liqueat quanto Selisius odio impios istos philosophos, litteratores istos honestatis fideique expertes infense persequeretur, ultimum hunc locum proferam, ubi linea quæque, ne verbum quodque dicam, veritatis superlatione signatur, præsertim cum scriptor adeo manifeste illum insectatur, in quem ex qualibet Galliæ parte atque Europæ totius regione omnium oculi defixi erant, scilicet Voltarium :

« La littérature n'est plus aujourd'hui parmi nous qu'un vil métier, tel que celui d'étaler à la place Maubert ; mêmes vénalités, mêmes injures, mêmes grossièretés : on crie à la tolérance, lorsqu'on ne peut souffrir personne : on déclame contre son siècle lorsqu'on en est le scandale ; on appelle à son secours l'humanité, lorsqu'on diffame ses contemporains ; on suppose la mort des autres, quand on devroit soi-même mourir de honte et de désespoir ».

At malum Selisius non modo indicat, pellere etiam cupit. Inusitatum prorsus simulque omnino infacetum remedium

(quod taceam), quasi diceres duodevicesimo sæculo homines fuisse perpoliendos ! Exilior igitur ista est Voltarii imitatio, qui in sua *Relatione de Patris* Berthier *Morte*, cui modo allusit Selisius, simili modo jocatus erat. Restat exponendum, qua ratione remedium penitus demittatur : quæ ratio jam ne salsi quidem habet quicquam ; ineptus est jocus, argutis et levibus Voltarii salibus longe dissimilis. Quare Selisius, etsi nec putido neque ambitioso dicendi genere utitur, ut mos fuit æqualibus, hic tamen parum recordatus est illum comœdiæ versum, quæ gallice *Le Méchant* inscribitur :

L'esprit qu'on veut avoir gâte celui qu'on a.

II. — Relation de la maladie, de la confession, de la fin de M. de Voltaire, et de ce qui s'ensuivit, par moi, Jos. Dubois.

(*Genève*, 1761 ; *nouv. édition*, 1763, in-12).

Duæ vero fuere causæ, cur Selisio in mentem venerit suæ *Relationis* de ficta Voltarii morte componendæ consilium : prior, Relatio ipsa Voltarii de morte Patris Berthier fuit ; altera rumor qui Lutetiæ, ineunte mense aprili anni mdcclx, de vero philosophi obitu percrebuisse videtur [1].

Ceterum tunc temporis mos erat Voltarium lacessere. Ipse enim annum jam salibus suis multos privatæ condicionis homines honoraverat aut honorari ab aliis jusserat. Exundabant undique opuscula, quæ omnia uni ei imputabantur, propterea quod nonnulla revera ejus erant. Qui inde offensi erant, par pari libenter retulissent, pluresque etiam conati sunt ; sed, cum res non esset actu facilis, accidit ut risores a derisi parte semper manerent.

Inter eos qui pessime tractati sunt, Francus de Pompignan et La Beaumelle erant. Itaque posteriori *Relationem* de Voltarii morte imputare nemo dubitavit, par pari relatum id esse asseverantes, quo in libello aliquot facete dicta reperirentur, sed ubi omnia essent tarda et male sapida, ut eum deceret qui nihil reddere sciret nisi adversarii jocos serviliter imitando [2].

1. Cf. *Correspondance de Mme du Deffand* (ed. de Lescure), t. i, p. 160.
2. Cf. Grimm, *Correspondance* (ed. Garnier), t. iv, Kal. Mart., anno mdcclxi.

Relatio enim illa Genevæ in lucem prodiit, sublato auctoris nomine, aut potius mendaci cum nomine Josephi DUBOIS, qui, ut ferebatur, VOLTARII fuisset cubicularius. Nihil tunc magis usitatum quam, vitandi periculi causa, opera propria non subscribere vel sponte aliis adscribere, si quis ab aliquo ultionem exigere vellet. Eo etiam prudentiæ ventum erat, ut jam epistulæ nec nomine subscriberentur nec die signarentur, tantus erat timor ne quod verbum lateret malignæ interpretationi obnoxium : quod quidem maximo impedimento erat mutuas litteras scribentibus ; unde VOLTARIUS dicebat « per publicos cogitare nuntios jam nemini licere » [1].

Magna quoque audacia opus erat juveni quattuor et viginti annorum, nullius fere apud litterarum peritos notitiæ, ut in VOLTARIUM impetum faceret. Hujus enim sub signa vexationis vi coacti erant eo tempore multi præstantes viri, quos forte alias excellentia ejus inde arcuisset ; summaque tandem admiratio pristinæ successerat iniquitati.

Falso igitur nomine velatus, SELISIUS, cum Relationem de Patris BERTHIER morte e contrario experiendam suscepisset, altissimum litterarum et philosophiæ principem deridere conatus est. Quo explanando proposito, plerosque non dubitat repetere locos in quibus jam VOLTARIUS leoninum unguem imposuerat. Hanc autem formidandam sponsionem satis magna peragit felicitate et successu tanta virtute prope digno. Habet enim mentis acumen et impetum, unde passim sales ; nec caret interdum illa dote qua sermo per validam verborum coacervationem animum commovet, neque illa arte qua res breviter contrahuntur aut ejusmodi telum injicitur, quod vivam materiem penetret memoriæque inhæreat. Scriptor est. Namque, non modo verba tanquam pingentia vel insculpentia aliquando invenit, sed etiam nonnulla, si minus fulguribus, at certe scintillis similia, quibus intimæ illustrantur mentes veritatisque ipsius impetus ad oculos oritur.

VOLTARIUS vero, auctore illo famulo, cui SELISIUS ait se narrationem callide subripuisse, excellentissima cum esset jamdiu valetudine, in sua *Deliciarum* villa, comitante DIONYSIA

1. Epistula a. d. VI Kal. Nov. data.

nepotissa, quæ « *apprenoit à déclamer à la jeunesse brillante du pays de Gex* », omnibus voluptatibus fruebatur. Tanta autem felicitas non jam mansura erat. Ecce enim, a. d. VII Kal. Apr., anno MDCCLX, post meridiem, cum VOLTARIUS teneros versiculos modo confecisset, publica ræda a Lutetia plures ei epistulas librorumque fascem attulit. Quæ omnia postquam solita rerum parisiensium aviditate expedivit et aperuit, FRANCI DE POMPIGNAN ad Academiam oratio, trunca quædam ex abbatis DELILLE *Georgicis* [1] id primum efficiunt, ut truces circumagat oculos [2]. Sed ubi satiras legit in se compositas, res in pejus cessit. His autem furoribus vires ejus hauriuntur. Intermittente tamen aliquoties febri, ægrotanti licet adhuc scribere *Le Pauvre Diable*, *La Vanité*, *Le Russe à Paris* et *L'Ecossaise*. Sed eadem fere subito redeunte, stetit omnis labor, et per noctem somnium irrepsit importunissimum.

Namque VOLTARIUS, in templum Posteritatis deæ, inscius quo pacto, translatus, in ingenti libro legit quot quantique casus Encyclopædiam Encyclopædiæque auctores maneant, atque infra quas posteri laudes duodevicesimi sæculi scriptoribus tributuri sint. Dum autem frustra nomen indagat suum, Johannem Baptistam ROUSSEAU maximum orbis terrarum poetam, CREBILIONEM maximum tragœdiarum scriptorem, Johannem Jacobum ROUSSEAU maximum philosophum esse reperit. Evolutis multis paginis, suum tandem adspicit nomen in fronte longi capitis grandibus litteris inscriptum. Qui locus ex integro citandus est, utpote ubi optima omnium forte lata sit de VOLTARIO sententia, eaque justissima ante novissimos illos gloriæ annos, quibus exactis, indefessus octogenarius luctator, victoriis inebriatus, occubuit.

Ibi autem hæc dicuntur :

« Celui-ci sera tout à la fois Poëte tragique, comique, épique, pindarique, lirique, satyrique, anacréontique et lubrique ; Orateur,

1. *Georgica* quidem anno tantum MDCCLXIX edita sunt ; sed jam anno MDCCLX prodierant quædam quarti libri fragmenta. *Mercurius* enim *Gallicus* (mense jan. anni MDCCLX, 1° vol.), postquam manifestum fecit quam difficile sit latina carmina vertere, præcipue Vergilii *Georgica*, hæc addit : « *On nous en promet une* (*traduction*) *d'un homme célèbre : mais l'essai que je vais donner est celle d'un jeune homme* (*Delille*) *qui commence et qui me paraît mériter toute sorte d'encouragemens* ».

2. Quare VOLTARIUS operi meris litteris imbuto adeo suscensuerit, parum liquet, nisi si ostentare voluerit SELISIUS VOLTARIUM omnibus invidisse scriptis in quibus æmulum agnoscere posset : quod plane falsum est.

Historien, Romancier, Géomètre, Métaphisicien, Phisicien et Logicien ; le premier dans quelques genres, le second et même le troisième dans plusieurs autres. Inférieur à nombre d'écrivains, plus fameux qu'aucun ; tous ses ouvrages seront remplis de beautés, de défauts et de plagiats ; il aura tant d'esprit, qu'on lui croira du génie ; peu de véritable sçavoir, mais un style enchanteur ; il donnera le ton à son siècle, et ce ton sera celui de la philosophie la plus saine, et de la licence la plus effrénée : il se fera un monde d'ennemis, mais il aura encore plus d'admirateurs : il sera affamé d'argent, insatiable de gloire ; son nom sera immortel, ainsi que ses ridicules ».

Qua de re cum orta esset inter eum et Posteritatem altercatio, colapho percussus, experrectus est. Paulisper resipuit. Jamque de operibus partim emendandis partim repudiandis cogitabat, cum, asseverante famulo dominum immerito desperare, quippe qui, optima corporis natura præditus, nihil haberet antiquius quam ut viveret : « At mehercule, vehementer exclamavit, vita profecto tandem fruendum est. Adhuc laborabo, articulos componam Encyclopædiæ addendos, cum in Gallia tum in Borussia tum in Britannia prosperos consequar exitus.... ». Letalis virium defectio vocem rursus interclusit. Cum autem TRONCHIN medicus incaute dixisset ægrotantem inde moriturum, his auditis, teterrima subiit desperatio, quam terribilis membrorum distentio consecuta est. SELISIUS vero, talia referre conatus, in pravissimum, quod excogitari possit, judicium incidit, id saltem unum forte prævidens quod semper de VOLTARIO cogitaturi erant homines, scilicet eum impium fuisse qui sine ulla peccatorum pænitentia vitam finierit.

Cum autem VOLTARIUS confessorem nominavisset, exiit cubicularius et mox reduxit errabundum quendam clericum, Galliam linquere ab inimicis coactum, qui moribundum peccata confitentem audiendum accepit. Quem adspectum VOLTARIUS gaudens, edito clamore, Deum vocat servatorem; nec ad clericum modo, sed ad populum peccata vult confiteri. Tunc VOLTARIUS incipit, aut potius SELISIUS, VOLTARII voce, proprium de philopho ejusque operibus sensum tradit, nonnullos passim locos joco ironiaque distinctos commiscens.

Ita de illis scriptoribus, quorum inest laudatio in *Siècle de Louis XIV*, cum ad rursus expromendam sententiam a

confessore invitatus esset, Voltarius ex tempore de principibus eorum judicia tulit argumentis comprobata. Tres autem viros inter omnes tunc temporis maxime miratur, scilicet Johannem Jacobum Rousseau, dilectissimum humani generis osorem, unum qui, a præside Montesquieu, prosa oratione granditer dixerit, atque in quo omnia sint pulchra et utilia ; d'Alembert, egregium Encyclopædiæ scriptorem, sed magis mathematices quam litterarum peritum ; Diderot, qui, cum natus sit poeta, nullam fere sententiam philosophus emiserit, quæ non quoddam effatum sit, cujus vis tota ex genere dicendi pendeat. Exquisiti quoque Gressetii nugis valde delectatur, quanquam eundem ait esse lepidissimum, vel æquo lepidiorem. Montesquieu vero ille (qui semper nonnullam Voltario, ut quidem omnibus verecundiam imposuit) inclitum quidem, sed inutilem librum scripsit, *L'Esprit des Lois*, quod opus inscribi possit *De l'Esprit sur les Lois* [1]. Alii sunt duo, quos parvi faciat : Desfontaines, cui magistratus quidam olim responderit : « Quid refert te vivere » ? Et Fréron, cui fuerit lepos et judicium, sed qui unum oblectandi finem sibi proposuerit.

Omnibus his æqualibus Voltarius se præstare censebat, nec quidem immerito. Etenim, qua in parte epistularum suarum de illius ætatis scriptoribus memorat, mirum in modum erga eos mixtum studio fastidium apparet : intellegitur eum parum cupere se ab hominibus superari quos sua ipsius fortuna futura multo inferiores esse auguratur.

« Voltaire, *inquit, congruentissima cum modestia de ipse loquens*, fut un assez bon poëte ; il écrivit même assez bien en prose ; il jouit, tant qu'il vécut, d'une réputation assez brillante. Ses ouvrages sont assez recherchés : il a plusieurs morceaux recommandables. On prétend même qu'il a fait quelques chefs-d'œuvre. Ce n'est pas que j'aye autrement envie de le vanter ; mais quand je considère l'injustice de mes ennemis... Ah ! laissons là tout détour : parlons d'avance le langage de la postérité. Ce grand homme embrassa toutes les sciences ; il s'exerça dans tous les genres ; il surpassa tous les auteurs ; et le monde étonné lui donna par acclamation le titre de génie universel ; il eut tout, et fut sans défaut ».

Ita faceto modo Voltarius peccata confitetur, vel potius, si quid scribendo levius peccavit, id fatetur ; nam prorsus

1. Marchionissæ du Deffand est hoc facete dictum.

agnoscendum est eum a Selisio, qui hominem bene novit, haud nimiis peti criminationibus.

Deinde suas cum *Æmilii* auctore et Desfontaines et Maupertuis contentiones narrat. Ubi autem ad La Beaumelle pervenit, clamat istud nomen furores suos revocare, quæritque ne isti parcere jubeatur. Tum magnum in ephemeridum scriptores volubiliter impetum facere, quæ quidem dicta cum Voltarii cogitationibus plane congruunt. Quinetiam ab eo Selisius plures mutuatur locutiones ex *Le Temple du Goût* aut *L'Ecossaise* excerptas, quibus in opusculis agitur quoque « *de ces misérables qui se font un revenu de leur impudence, de ces Arétins subalternes qui gagnent leur pain à dire et à faire du mal sous le prétexte d'être utiles aux belles lettres ; comme si les vers qui rongent les fruits et les fleurs pouvaient leur être utiles* » ! Noster sane Voltarium ejusque adversarios, quorum est ipse, multum legit; sed, ut omnia dicere velit, longiusculus est.

Voltarius vero, confessoris admonitione ad christianam caritatem revocatus, ut olim Berthier Pater (hic directa imitatio est), quosdam distinguit inimicos et excipit inter diariorum auctores. Plures enim odio suo liberat, sed eosdem, dum laudare videtur, vehementer reprehendit.

Mox illud furti crimen in se ab inimicis illatum defendit; quod ut tollat, ait « *qu'il n'a jamais rien imité des bons auteurs connus, comme par exemple, de Corneille, de Racine, de Molière ; et que ceux qu'il a copiés quelquefois se réduisent à Lucain, L'Arétin et Bayle* ». Deerat sane Voltario alta litterarum doctrina, qua animo permittitur ut se ab imitandis prioribus aut æqualibus vindicet. Sæpe enim ex libris, maxime antiquis, bibliothecæ suæ, prout opus erat aut certaminum vicibus postulabatur, eruditionem sumebat. Sed defensio ejus, qualis hic a Selisio agitur, magis rudis et absurda est quam ut intentas in se mentes defigat.

Nec felicior nec præsertim vero propior est Selisius, ubi Voltarium inducit negantem ullos sibi unquam fuisse amicos, ne Encyclopædiæ quidem scriptores, quibus plura debeat, quos metuat, sed non magni faciat. Optime contra de his Voltarius existimare solebat, ut a quibus sentiret.

Quanto ingeniosior quidem mens, cum Voltarium hortatur

confessor ut humiles christianasque epistulas ad inimicum quemque scribat, ut ignoscatur, postulaturum. Hæ enim epistulæ, sex numero, VOLTARIUM genus exquisite imitantur, ibique SELISIUS leporem profundit, sua cuique vitia omnia vere proferens, derisoris vultu bellissime composito. Nihil est, inquam, nec lepidius, nec callidius malignum [1].

Imposito confessioni fine (non enim fallit VOLTARIUM, si quis tædio sit, eum peccare), abbas pænitenti absolutionem conferre parat. Sed prius eum jubet, piaculi causa, centenos aliquot nummos (gallice *pistoles*) sibi tradere pro eleemosynis distribuendos, et congruentem sortium numerum de publica quadam alea pauperibus profutura accipere.

Annuentem, etsi repugnantius, VOLTARIUM abbas peccatis absoluturus jam manum levabat, cum ingens in aula fragor auditus est: turma erat publicorum custodum, qui abbatem DE LA COSTE, cum in iis ædibus præsentem comperissent, comprehensum venerant...

Confessor iste nequam Voltarianum opus quoque imitatur, sed imitatione prave ridicula. VOLTARIUS vero inexspectata illa clade adeo attonitus est, ut per duos dies nullum verbum ediderit. At SELISIUS, laxatis ingenio habenis, commenticia simul et comica quam lautissime inducens, tristissimum VOLTARII exitum narrat.

Incipit nox insomnis. « *O nuit désastreuse ! ô nuit mémorable à jamais* » ! Obdormiscit VOLTARIUS. Ecce autem, quinta fere noctis hora, per caminum in cubiculum penetrat diabolorum legio accensis facibus armatorum : qui philosophum abstulerunt et evanuerunt....

Est autem operis altera pars, sed multo brevior. Quemadmodum enim VOLTARIUS Patrem BERTHIER perendino die mortis, sic et SELISIUS VOLTARIUM nocte sexti diei post illud inusitate factum apparentem inducit. Apparet ergo in media nube ardenti dæmonum alis sublevatus. Narrat se haud læte inferis uti (Pater BERTHIER in purgatorio tantum versabatur) ; nonnulla tamen sibi liberaliter tribui ; quare, exempli gratia, postulanti permissum esse ut hanc noctem, ubi vellet,

1. Vide, exempli gratia, in *Appendice*, epistulam ad LA BEAUMELLE missam.

traduceret. Cum loqui pergeret, cubicularius, insolenti consilio indulgens, lusorias chartulas diabolis Voltarium comitantibus commodavit; atque hi, in angulo considentes, oblectaverunt se quodam ludendi genere, quod gallice *piquet* dicitur, dum Voltarius ea narrat, quæ sibi recentissime acciderunt.

Tum Voltarius a novo domino petiit impetravitque ut, omnibus ignotus, eodem tamen dæmonum comitatu, Lutetiam viseret. Postquam autem, per magnam hanc urbem ambulans, accuratissimam morum disciplinam coercitionemque miratus est, primo ad litteratum Tiriot devertit, quem in μουσείῳ invenit consolatorias de morbo litteras sibi scribentem. Deinde ad Diderot transiit, cujus in domo congregatos offendit Encyclopædiæ auctores, octavi voluminis sui mox exituri articulos recognoscentes. Inde illum Marmontel convenit, qui imminentem Voltarii obitum mæste cum amicis cenando miserabatur; postea Fréron, qui splendidissime habitat et pulcherrimam possidet supellectilem, sed cujus bibliotheca chartulis tantum suis periodicis referta est : itaque Voltarius ignem iis admovet, quo incendio perit *Annus litterarius*. Denique Societatis Jesu collegium petit, ubi ad Berthier Patris cellulam ascendit, quem invenit ardentissime orantem : « *Dubois, c'étoit pour moi* » !

Ad plures etiam litterarum peritos sic ordine a diabolo ductus est, verbi gratia ad Francum de Pompignan, ungues rodentem, dum suum *Richelet* indagat; mox ad Trublet abbatem, Academico cuidam dicentem : « Cur non coopter, qui æque surdus sim ac La Condamine » ? jam ad ipsum La Condamine, qui uxorem « inoculabat » ; denique ad Pironem, somno oppressum. Exclamare Voltarius « unum Pironem recte sapere » !

Totum matutinum tempus monumentis invisendis consumptum est, scilicet Ædes municipales, Academiam gallicam, Comœdiam : cujus in scæna, cognita Voltarii morte cum jam essent agendæ fabulæ *Turcaret* et *Le Médecin malgré lui*, illis confestim substitutæ sunt *L'Ecossaise* et *Nanine*, utpote quæ minus lepidæ sint. Cumque in tanto hoc discrimine cuncti obstupescerent spectatores, inter se requirentes quo vero modo ille obiisset, unusque ex iis reperiisset illum a diabolo ablatum esse, tunc Voltarius redux cubicularium Dubois alloquens, hæc novissima dixit :

« Cela est vrai, mon cher ami ; mais je m'en console avec de la philosophie. Le bonheur est par-tout. Je fais des vers là-bas, et je m'amuse à persiffler les diables ».

Talis est audax illa multumque ingeniosa satira, in primum scriptorum nostrorum composita, scilicet in virum præstantissimis dotibus insignem atque unicum, quem ardentissimi miratores modeste laudari etiam tunc non sinebant. Eo jam titulo, SELISIUS dignus est cui suum tribuatur. Est enim semper quædam animi magnitudo, ubi quis potentiorem semet incessere audet, conscientia impulsus, ut is erat, se vitia merito increpare et jure reprehendere.

Quod ad formam operis attinet, inesse videt LA HARPE ipse acumen, leporem, permultos felices locos, nullam ex istis privatorum insectationibus quæ insectantibus probro sunt : id in suis *Litteris* prædicare non dubitat [1]. Disputandi enim ratio decens est, gravissima plerumque et ordine ducta, unde opinio subit tam paucorum annorum juvenem plurimum legisse et præcoci fuisse ingenio præditum.

Animadvertitur etiam quædam comici auctoris propensio actioque scænica ; quæ vocari possit SELISII et ars et in scænam inducendi ratio. Is, si philosophus tantum fuisset, observata quædam diserte proferendi et res quasdam generatim considerandi mentem ex incepto concepisset. Feliciore casu, δραματικὸν se præstat auctorem, atque omnes ejus sententiæ scænæ motum et splendorem repræsentant.

Utcumque res est, illud opus, unum fere dignum quod oblivionem effugiat in ista innumera famosorum libellorum multitudine adversus *Henriciadis* auctorem compositorum, ter uno anno editum est. Impressum iterum Genovæ, anno MDCCLXIII. Quod si hodie parum notum est, id est quod concertatoriorum operum, vel plurimi existimatorum, ea semper fuit eritque condicio. Noster sane, ubi vitia reprehendit, integram morum severitatem profitetur ; sed, dum religiosas res aggreditur, quas quidem VOLTARIUS, et illud fatendum est, nec placide nec graviter nec sincere unquam tractat, quare in optimas animi dotes, quibus Voltariani operis virtutes augentur, scilicet in veracitatem, in accuratissimam

1. Cf. *Le Moniteur universel*, anno Reip. gall. decimo, n° 153, p. 613.

diligentiam, in decernendi æquabilitatem, in magnam rerum mirationem, in patriæ gloriæ affectum, in justitiam cuivis dignitati consulentem invectus est? Circa scribendum (quis rem infitietur?), prout recte sapit quis, sic et recte judicat : VOLTARIUM autem recte sapere quis neget? Ut VOLTARIUS CARTESIUM non intellexerit, fieri potuit; sed is fuit qui et PASCALIO jansenistæ et BURDALAUDIO jesuitæ suum tribueret. Quin etiam illud *Temple du Goût*, quod ineptum esse SELISIUS censet, quia homines certissimæ famæ aliquantum mordaci libertate ibi perpendebantur, nonne inter lusus ἀλληγορικοὺς maxime juvat, disertissimis et gravissimis illius *Siècle de Louis XIV* capitibus ad artes litterasque et scientias pertinentibus nove præludens? Atque ea capita nonne quasi fundamenta sunt in quibus postea sententiæ de mira illa ætate latius expositæ fuerunt?

In summa, apud SELISIUM, incitata admodum variataque oratio. Quæ depingit, ea per cunctas partes explicantur; interdum etiam totius minuitur splendor, adeo singula vel infima diligenter designantur. Fortunatum auctorem, cui, secundum illius SAINTE-BEUVE perbelle dictum, sæpe aliquid adimi sufficiat, ut quod desit compleatur!

III. — Testament de M. de Voltaire.

Relationem sequitur alterum opusculum, titulo *Testament, etc.*, novæ editioni additum, quæ post tres annos exiit. De VOLTARIO enim SELISIUS non omnia sibi dicta esse existimabat, omnia dicere volebat. Fere liceat ad eum transferre hunc præcipuæ personæ suæ versum, quem ipse in calce opusculi laudat:

Le secret d'ennuyer est celui de tout dire.

Non tædio tamen sunt omnia quæ dicit. *Testamentum*, ex sententiis quæ in eo expromuntur, in duas partes dividi potest: quarum prior supremam VOLTARII voluntatem atque fortunarum inter hæredes distributionem continet; altera eas monitiones, quas sua illi experientia dare permittit.

Primo VOLTARIUS hæredes rogat ne isti FRÉRON epitaphium suum componendum mandent: « semet enim ægrotantem,

ante sex illos menses, impellente fortuita devotione, eo munere functum esse ; nec scire se quomodo res acciderit, sed impie dicta inserta fuisse ; si quis autem aliud sibi epigramma funebre conficere velit, hoc sit simplex et modestum, nec quicquam præter scripta sua memoret ».

Justa vero sibi solvi nulla pompa, nullo fastu, jubet :

« Ne suffit-il pas à un chrétien d'être enterré en terre sainte ? Qu'on n'oublie pas cependant de mettre sur les billets de cérémonie qu'il est comte de Tornet (*sic*). Il sera également très à propos de donner avis de sa mort à tous les rois qu'il connoît, comme aussi à tous les gentilshommes de la chambre et à toutes les Académies dont il est, et qui se montent à cent ou deux cents. Sur sa bière on placera (*non adeo male eligitur*), sa *Henriade* et sa *Pucelle*, et quant au lieu de son enterrement, il ne seroit pas fâché, pour son honneur et celui de la France, d'être enterré à Saint-Denis ».

Quin eo usque impudentiæ progeditur, ut de fructu commenticiæ fabulæ *Candide* iterum editæ missas celebrari jubeat ; eo usque superbiæ, ut ab Academia sedem suam vacuam lictum iri speret ; eo usque ironiæ, ut Pironi bibliothecam, nepotibus vestem tradat, ea lege ut hi quotannis istum Chaumeix justo vestitu donent. Cornelii vero nobilissimæ puellæ exemplum vitæ relinquit, dotisque loco æs collatum edendis codicibus operum suorum, bonorum malorumve, quæ Tiriot, famulo stultissimo, mandat ut prelo subjicienda curet.

In altera parte, quæ ad monitiones spectat experientia suggestas, Voltarius expromit quid sentiat de pluribus litterarum locis et generibus a se tractatis. Hæc est fere quædam *Ars poetica* sermone pedestri composita, qua continetur scæna, historia, commenticia fabula, satira, epos, grammatice, epistulæ, laudationes, etc. Quæ autem expromitur, ea non semper vera Voltarii opinio est. Hanc enim Selisius ratione sua profert, qualem ipse percipiebat ex Voltarianis operibus, de quibus simul judicat.

Sic de tragœdia, quo in genere perraro fit ut res bene vertat, Voltarius hic id declarat, quod nunquam adeo nitide dixerat, scilicet tutissimam esse procedendi viam, si quis opportune normarum jugum excutiat seque a tribus istis putidis unitatibus liberet, quæ artem, ut fasciæ infantem, cohibentes premunt.

Operæ pretium esset etiam proferre quid de ratione historiæ scribendæ senserit. Adest quasi universus capitum index, aut novarum rerum pronuntiatio. Quid addam VOLTARIUM hic sibimetipsi maledixisse?

De commenticia fabula, maximo impetu, tacito tamen nomine, in Johannem Jacobum ROUSSEAU invehitur, quocum, ut notum est, infensas exercebat simultates.

Immodicus pariter ejus sermo fit, ubi de satira loquitur, cujus nullum unquam sæculum avidius fuerit, quæ jam non in eodem quam olim more perseverare debeat, sed firma fieri vehemensque « *pour plaire à des esprits chagrins nourris de maximes Anglicannes, de Géométrie et de hautes sciences* ».

Additque :

« Pour moi, j'ai fait plusieurs satyres, autant par goût que par régime. J'ai cela de particulier, que ce genre d'ouvrage m'égaye infiniment : la méchanceté est très bonne à ma santé, et je ne me porte bien que lorsque je médis ».

At gravius et æquius de grammatica fastidio nunc habita mentionem facit. Quod ad laudationes spectat, quarum rationem ab Academia gallica receptam multum approbat, quanta sui fiducia lætus ait eligendos fore, ut celebrentur, « *ceux dont la réputation avouée sera digne de fixer les regards de la Postérité, qui non contens de réussir dans quelques genres, les ont embrassés tous, ont étonné leurs contemporains par l'universalité de leurs talens et de leurs lumières, ont donné le ton de leur siècle, ont subjugué la République des Lettres, et s'en sont faits les Rois ; ont osé être utiles à l'Univers, fouler aux pieds l'envie, désigner au ridicule ses victimes, marcher les égaux des Princes, opposer l'orgueil des Lettres à celui du Thrône, et daigné sourire aux Monarques amateurs* » !

In his totus est VOLTARIUS usque ad annum MDCCLX. Hæc sunt judicia quæ, vel iniqua, res veras adeo multas continent, ut ipsa posterorum judicia manserint : quod plane SELISIO decori est.

IV. — Bien-Né, Nouvelles et Anecdotes. (*Paris*, 1788, in-8, *brochure*).

A SELISIO famosum quendam libellum, ad vituperandam regis personam compositum fuisse jam supra diximus. Hunc vero libellum, quamvis multa, sive in *Bibliotheca Nationali,*

sive in aliis cum publicis tum privatis, diligenter indagaverimus, nusquam reperire potuimus. Unum tantum exstat ex illis Ἀνεκδότοις, aut modo compendium ejus, Grimm critici Epistulis[1] servatum : satis est ad ostendendum quale fuerit Selisii genus. Ibi sæpissime alluditur sive vitiis et deridiculis Ludovici xvi sive auctoritati vere unicæ quam apud eum usurpaverant aulici, id est qui privilegiis fruebantur.

Narrat olim fuisse, nescit ubi, regem in quo rectum ingenium et animus juris amicus natura infuerit, sed cujus egregiæ dotes ob pravam institutionem sine cultu et utilitate manserint. Nec circa exemplum quidem res ei melius cesserant ; namque apud regem, avum ejus, omnes artes, excepta regendæ civitatis ratione, colebantur. Hic rex, quem noster Bene Natum appellat, usitatissimum quemque vulgi morem usurpaverat : nullius rei patiens, numina ferocioribus verbis increpans, iracumdus, helluo, venationis studiosissimus, idem benignus, mollis, ad ignoscendum propensus erat.

Immodica autem ista et benignitas et mollities maxima vitia peperit ; tantis enim incommodis res implicatæ sunt, ut rex brevi, quo se verteret, non jam noverit.

Tum demum Sapientia, augustæ mulieris habitu et specie, ei auxilio venit pluresque dictat agendi leges, quibus servandis, quanquam invitus, annuit. Efficax autem remedium fuit. Emendato enim rege, quamvis omnes aulicos pigeret, paulatim Sapientia ipsa regnare visa est.

Hic vero libellus, nullo auctoris nomine inscripto, Lutetiæ editus est. Quindecim fere dies palam veniit, deinde severe prohibitus. Qui eum ediderat, Dezauches bibliopola, una cum quattuor sodalibus comprehensus, qui venditionis adjutæ in suspicionem præcipue venerant, fateri se ejus auctorem esse non dubitavit ; sed hæc confessio illum unum sontem fuisse non satis comprobare est visa. « Fabulæ istius auctor, inquit Grimm, castigationem aliquam prorsus merebat, vel propterea tantum quod ad res indecenter interpretandas legentes invitare videtur, cum jam iis maledictis præoccupati sint, quæ in tot famosis libellis et domi et peregre veneuntibus sparsa sunt, haud secus ac si istæ essent certissimæ de aula gallica narrationes ». Desinente enim Ludovici xv regno, jam exiit libel-

1. *Correspondance,* t. xv, p. 286, (aug. mense anni mdcclxxxviii).

lorum famosorum multitudo. Nulla jam erat regis minime venerandi veneratio. Quales vero tunc fuerint temporum mores, quid magis significat quam ipsius regis corpus audacter peti?

V. — L'Homme de quarante ans désabusé, ou la fée Sincère.

In hoc capite aliam inserimus commenticiam fabellam, descripti simul et satirici generis participem. Ea, anno MDCCLXXXIII scripta atque ab ipso auctore in Academia Ambianensi a. d. VII Kalendas Septembres recitata, hunc habet titulum : *L'homme, etc.*

Auctor fingit se Parisiis melancholicum tristemque versari. Omnia circumspicit mutata, longe alia, ab iis desciscentia quæcumque, se juvene, fuerant, tum cum viginti annos natus, jucundissimis animi erroribus inebriatus, qui vitam suam ornabant, oblectamenta tantum ubique cernebat nec quicquam sentiebat nisi voluptarium. Neque hanc rerum mutationem ex se pendere persuasum habere potest : credit se, si ea loca et res, quæ vigesimo ætatis suæ anno viderit, rursus aspiciat, ferrei illius ævi affectu pariter mutata inventurum esse.

Ecce autem, patescente ejus fenestra, splendida nubes e cælo demittitur, mulierem eximia pulchritudine advehens, SINCERAM *fatam*, quæ eum, quæ sit prius edoctum monitumque ipsam ei satisfacere paratissimam esse, secum in nube sua per aera aufert.

Mox, cum ambo super fertilia rura, uberrimis gravata messibus, viis ordine munitis et peregrationi facilibus distincta, iter facerent : « Eia, inquit Fata, nonne tu agros existimas semper divites esse, tam recte quam antea coli? Hi sunt Picardiæ campi ». Quod vere dictum esse sane fatendum fuit.

Deinde, quæcumque in Ambiana urbe cognitione digna sunt, ea singula una invisentes, artis miraculis ibi sitis, ex ecclesia cathedrali usque ad publicos illos hortulos gallice LA HOTOIE dictos, inhiant. Neque ulla prætermittitur occasio, quin Fata animadverti jubeat omnia illa decora perennia esse : quod infitiari mæstus homo noster nullo modo potest.

In hac commenticia fabula plura insunt quibus delectemur. Primo enim vir bonus depingitur, is est HOUZÉ, cui SELISIUS

jus olim negatum tandem tribuere videri potuit. Deinde narratur quo casu occubuerit adulescens e gente Démery ortus. Denique illius puellæ, quam auctor ipse amaverat et quæ ætate florens obierat, funebris fit laudatio. Sed nec collegium, nec Gressetii cartusiam, nec suos pristinos sodales aut discipulos, neque ipsum Gressetium scriptor obliviscitur. Ad summam, quadraginta annorum vir unum se mutatum esse fatetur.

Atque omnia hæc rectissime scripta. Etenim si qua fit adulatio, ea verborum subtilitate, elegantia, lepore emendatur. Nihil inest gratulandi causa nimium. Picturæ, casus, descriptiones variæ, jucundæ, miserabiles, vividæ invicem sequuntur, in quibus sal plerumque, interdum et animus reperitur. Itaque, Selisii opera, Ambianensis Academiæ concilium illa die aliquid lepidi præbuit, nedum *beotici* dicam, quo verbo hunc cœtum designare solebat matrona nobilis, Mme Roland [1].

CAPUT III

DE SELISIO VIRTUTIS MAGISTRO:

Lettre à un père de famille sur les petits Spectacles de Paris, par un honnête homme. (*Paris, Garnery, Quai des Augustins*, 1789, petit in-8).

Quæ minora Spectacula vocamus, ea theatridia erant a nundinario foro dicta, quæ septimi decimi et duodevicesimi sæculi Parisios plurimum delectaverunt. Celeberrimæ omnium nundinæ primum Sancti Laurentii et Sancti Germani, deinde Sancti Martini et Templi nominibus nuncupabantur. Illuc conveniebant omnis generis ludiones, scurræ, mimi, petauristæ, cum suis ædiculis, citerias sive ligneolas hominum figuras hospitio recipientibus, solidorum theatrorum instar, tabernisque et mensis venales merces explicantibus, et si qua sunt talia.

Omnia autem ista parvi momenti theatra nec recte vivendi nec recte sapiendi præcepta, tunc temporis magis quam hodie,

1. Vide, ex *Correspondance de Mme Roland* a C. Perroud publicata, Epistulas ante diem octavum et septimum Kalendas Septembres anni millesimi septingentesimi octogesimi tertii datas.

tradebant aut tradere poterant. Eo veniebat populus nullam aliam ob causam quam ut se oblectaret, normas, morem, decentiam minime curans. Urbani, optimates, principes etiam ibi pulpitorum spurcitia, atellanarum ludibriis, ridicularum imitationum protervitate sæpius delectabantur. Indidem vir bonus se multoque magis suos, uxorem et liberos, abstinere debebat.

Quam ob causam SELISIUS, anno MDCCLXXXIX, Epistulam ad Patremfamilias conscripsit. Parentem fingit conjuge orbatum rus secessisse (quod ei gratulatur auctor), ut liberos educet, puerum et puellulam. Ecce autem alter quattuordecim, altera quindecim annos nata est: quapropter utrumque pater, ut ambo « *cette fleur de politesse si nécessaire au mérite le plus solide* » consequerentur, Lutetiam reduxit. Jam CORNELII et RACINII tragœdiis nonnullisque MOLERII comœdiis interfuerunt. Sed minorum spectaculorum studio incendi videntur : unde sollicitus pater ab illo « *honnête homme* » quærit quid sibi sit ea de re censendum.

Nec SELISIUS quicquam neglexit, quo ei responderet. Explanato primo capite, scilicet quanto vitæ periculo in ista infamia loca, in ligneas istas ædes igni, incendio obnoxias, in istas male olentes caveas, ubi aer malignissimus densissimaque Lutetiæ plebecula est, aliquis se committat, ut iis plaudat operibus, quibus nomen addi non possit, jam ad secundam transit partem, quæ ad judicium pertinet :

« Imaginez-vous de prétendues comédies sans unités, sans intérêt ; pour tout sel des obscénités claires, ou ce qu'on appeloit autrefois des quolibets et qui se nomment aujourd'hui des calembourgs ; figurez-vous des danses dénuées de caractère, et exécutées par de foibles enfans qui s'excèdent, des pantomimes monstrueuses, mélanges de bouffonnerie et d'héroïque, dans lesquelles il y a toujours des duels, des coups de canon, des supplices, et souvent des hommes métamorphosés en chats, en chiens, en ours, en singes ».

Pro judicio et moribus adversus istud spectaculorum genus SELISIUS jure propugnat. Cum autem sententiæ suæ rationem afferre debeat, necesse est, inquit, nonnullas earum fabularum, quæ in istis nundinariis pulpitis agi solent, patrifamilias ostendat. Atque id faciendo, existimationes interdum addit, quas hic repetere nimiæ forte operæ pretium esset.

Sed moribus præcipue spectacula ista periculosa sunt. Cujus corruptelæ causas tres esse SELISIUS ait : primam, actores ; secundam, fabulas ipsas, quarum licentia semper flagitiosissima est ; tertiam, spectatores.

Actores universos, quos ceterum contemnere tunc moris erat, præsertim minorum spectaculorum scænicos, SELISIUS severissime judicat.. Boni quidem, sed rarissimi excipiendi fuerunt. Reliqui omnes nostris nundinariorum theatrorum mimulis vel popinarum cantoribus satis similes. Eos SELISIUS in duo genera dividit, constantis ætatis et pueros.

« Les premiers sont l'espèce d'hommes la plus vile qu'il y ait à Paris... Ils sont vicieux en proportion de ce qu'ils sont déshonorés. Leurs superbes camarades des autres théâtres ne sont que libertins, eux sont crapuleux ».

Vehementiore etiam, si fieri potest, indignatione fertur in istas impuberum deductiones, fœdum Lutetiæ crimen, quam urbem sceleris veteribus etiamque pravissimæ Romæ ignoti ream facit.

Quare sic patremfamilias alloquitur :

« Dans vos provinces, vous ne méprisez pas assez Paris. L'histoire nous apprend, en rougissant, que l'affreux Tibère faisoit servir l'enfance même à ses plaisirs ; mais ce n'étoit pas le crime de la Rome entière ; il n'y avoit point à Rome de rendez-vous autosisés, de lieux privilégiés, de foires où l'on exposât cette nouvelle marchandise bien parée, arrangée avec art, où le riche libertin et le vieillard dégoûté vinssent acheter à ses parens l'innocence d'une fille de dix à onze ans ».

Fabularum autem licentia, ut ejus fert opinio, universa est. Omnes enim obscene dictis refertæ sunt, quæ intellegere spectantibus vel minime sagacibus facillimum est. Atque utinam nihil aliud sint quam eruditæ nugæ, quales fuerunt *La Chercheuse d'esprit* [1], *Les Troqueurs* [2], *La Servante justifiée, Le fleuve Scamandre !* Aliæ, ut *Les Animaux raisonnables*, manifestam protervitatis speciem præbent, cum impuris verbis, aut faceta

1. Hanc paulo severius existimat SELISIUS : *La chercheuse d'esprit*, auctore FAVART, in *Opera Comica* a. d. x. Kal. Mart. anni MDCCXLI primum acta, lepida contra fabula est, quæ, statim ut exiit, jure floruit, diuque mansit in numero repetendarum.

2. Item hanc *Les Troqueurs* inscriptam : ii enim (auctoribus VADÉ et DAUVERGNE) novum fabulæ genus inchoaverunt, operam comicam nomine, cujus brevi Gallia omnis studiosa futura erat. Namque hæc fabula nonnullæque deinceps aliæ fabulas modulis sive canticis distinctas mox populo probaverunt.

flagitia sunt, ut *Le Miroir magique*. CASSANDER [1], cum senior sit et podagricus, se jam voluptatibus frui non valere dilucide profitetur. Cumque ARLEQUINUS [2] et amica ejus clausis thalami velis tecti sint, PIERROT iste, mox aperto paululum aulæo, spectantibus quid agatur gestu significat. Apud *La Vigne d'amour*, figuratam fabulam (sive ἀλληγορίαν) impudentissima minimeque ferenda nota signatam, COLINETA se jam decies undeciesve uvam morsu clam appetiisse declarat, eamque rationem dum subducit, qualia gestu manuque demonstrat ! Alibi muliercula amore capta « jam a nullo hortum suum irrigari » queritur, aut rusticus « nullum jam prandio suo exitum esse » dolet. Denique, apud *Les Ambassadeurs* dictos, nulla verecundia obstat quominus fabella, de anno præterito facta, cum hoc titulo agatur : *Qui, qui veut l'Amour?*

Tertia denique causa corruptelæ istis theatris a spectatoribus ipsis sufficitur :

« ... Chez quelques-uns l'espérance de goûter un plaisir peu commun à voir ces tendres beautés s'évertuer autour d'eux, a flatté leurs penchans libertins. D'autres veulent applaudir dans la foule leurs maîtresses ignorées du public ; d'autres enfin, profitant d'un sérail rassemblé pour eux, se sont proposé d'examiner à loisir à qui ils donneroient le mouchoir ».

Hæc sunt subtiliter et maligne descripta, unde apparent apud SELISIUM propensiones ad satiram vere accommodatæ. Neque pudicas quidem matronas, ista spectacula videndi cupidate allectas, indulgentius tractat. Quem enim cœtum ibi inveniebant, is minime honestus erat, si ex arguta nostri pictura existimetur.

At enim, animadvertit SELISIUS, primo dixerit quis omnibus istis hominibus (scilicet scænicis) victu quidem opus esse. Sed, omisso parvo eorum quæstu, etiamsi plus lucri facerent, nihilo minus prava essent spectacula. Rursus forte contendetur hæc ad plebem tantum oblectandam esse facta, plebem tantum eo convenire. Olim quidem illud verum erat, iis temporibus desiderandis, cum ista nihil aliud nisi absurda erant. Sed hodie, addit noster, ex quo præsertim MONNET omnium primus cæruleum sericum argenteis fimbriis prætextum ad

1. Hic est etiam fabulæ titulus, cujus gallica forma facile intellegitur.
2. Idem notandum est quam supra.

decorandos splendidos foros suos adhibuit, ex quo pulpita ista justis symphoniis aucta sunt, ex quo mollissime ibi saltatum est,... honestissimus quisque, primo quidem dissimulanter, PRATELLUM ABBATIÆ, SANCTI LAURENTII suburbium, viam a RICHELIO dictam petere assuevit.

Quæ vero illis accidere solent, qui istis spectaculis assidue utuntur, ea SELISIUS ad quatuor reducit res, quæ ad utrumque sexum æque pertinent : primo, amittitur tempus ; secundo, de gravissimis rebus falso decernitur ; tertio, officia negleguntur ; quarto, libidinibus indulgetur.

Severis quoque illis philosophis nititur, qui nec Operæ, nec Gallicis scænicis, nec Italicis magis parcunt. Sed hi amissum tempus minime reprehendunt : immo rectissime consumptum in tribus illis theatris, excepta forte ARLEQUINI scæna, existimant. Et NICOLIUS, qui MOLERII, RACINII, QUINALTI æqualis fuit, et Johannes Jacobus ROUSSEAU, qui VOLTARII fuit, illustrium illorum virorum opera pestes quidem publicas, non ineptias esse dicunt.

Ipse vero popularium istorum generum hostem infensissimum se profitetur. Immo res nimis amplificat, ubi minoribus spectaculis novas eas opiniones, quæ ex aliquot annis agitabantur, ac fere eam civitatis mutationem imputat, quæ jam parabatur, imminens, exæstuans, omnia vertice contorquens ad exitium.

Postremo, SELISIUS addit se patrifamilias nihil dixisse de quibusdam voluptariis castellis (gall. *Redoutes*) aut hortulis (gall. VAUXHALLS), veris lupanaribus unde nemini licet casto exire. Adsunt enim oscilla, choreæ, succinctæ meretrices, caupones, coquini, cetera omnia.

Videre autem facile est quantum in rudes ac teneros animos influere possint tot tantæque pelliciendi artes eodem congregatæ. Mox juvenes nulla alia scænæ miracula nisi istius TACONNET et DORVIGNY opera noverunt. Præterea, res familiaris perit.

In omnibus istis Voluptatis delubris, quemadmodum antica a Risibus et Amoribus, a vini ludique et mensæ Numinibus intranti aperitur ; ita egredienti ad posticum in angulo vigilant Paupertas, Turpitudo, Desperatio, quibus et Mors adjungi possit.

Ex quibus aliquot dictis excerptisque percipi potuit quantum Selisii animus indignetur quantumque hæc indignatio sententiæ, orationi, eum habitum, eam elationem, eam gravitatem addiderit, quam in nullo alio ejus opere pariter manifestum invenire facile possis. Neque enim nullum effugit vocabulum quantumvis violentum esse videatur, dummodo sententiam recte exprimat. Prædicator est omni appellationis vi præditus; morum quoque magister, magisterque sincerus, qui nihil magis persuasum aut antiquius habet quam ut ceteros emendatos in viam recti et virtutis trahat. Vixdum in hoc reprehendi possit, quod per candorem aliquot simplicibus aut absoletis locutionibus utitur, verbi gratia, ubi nundinariorum ludicrorum spectatoribus imputat « l'*espérance de goûter un plaisir peu commun à voir ces tendres beautés s'évertuer autour d'eux* » : ita cuidam ætatis suæ generi dicendi leve tributum pendit.

Ad summam, illud est opus curiosis legendum, certis rebus refertum, ad reformandos mores excellenter pertinens, diligenter, nisi forte diligentius, ut famosus libellus, compositum : hoc præcipuum est, ne dicam unum, crimen ei inferendum.

CAPUT IV

DE SELISIO MORUM REFORMATORE:

I. — Lettre d'un Grand Vicaire à un Evêque, sur les Curés de Campagne. (*Paris, Cailleau, rue Galande*, 1790, in-8).

Jandudum, ut supra indicavimus, clero universe reformato opus erat [1]. Parochiarum in primis clerus, qui unus fidem integram servaverat [2], parangariis subditus, a monachis et episcopis despectus [3], misere vivebat.

Jam pluries, agrestis curionis sortem miserens Voltarius [4], abbasque ille inclitus, Gregorius [5], pro eo reclamaverat :

1. Cf. *Cahier des Jansénistes* (Bibli. nat., n° 24 245).
2. Cf. Taine, *l'Ancien régime*, p. 194.
3. Laurent abbas, in suo *Essai sur la réforme du clergé* (1789), p. 141, narrat præsules a lustratione pastorali redeuntes, excussa violea toga, amatorie exclamare solitos : « N'approchez pas de moi, Mesdames, *je pue le curé* d'une lieue à la ronde ».
4. Cf. *Dictionnaire philosophique*, in articulo *Curé de Campagne*, t. vii, p. 397 ; — *Dialogues et Entretiens philosophiques*, t. vi, p. 721.
5. Cf. L. Séché, *Les derniers Jansénistes*, t. i, p. 134-135.

nihil quidem vulgo magis prodesse quam curionem natos conscribentem, pauperibus opitulantem, ægros consolantem, mortuos sepelientem, pacem inter cognatos conciliantem, nec quicquam nisi morum præceptorem agentem.

Quamvis enim ad docendum consolandumque vulgus informati essent, num id agere poterant boni illi ruris curiones, saltem eorum plerique? Magnum erat, si posteriore munere fungi valebant inter parochianos quorum miseriæ atque interdum ignorantiæ participes esse solebant. Pauci quidem eorum quadam opulentia fruebantur; sed id aliud erat malum, unde, in prava rerum condicione, aliæ turbæ oriebantur. Harum autem turbarum dissimilitudinem Selisius in quadam tabula profert, ubi naturali, sapida, vivida pictura, contraria contrariis componuntur. Cumque directorum præceptorum parcus sit auctor, quæ sententia non declaratur, ea ex ipsa factorum narratione, ex electione rerum sapienter, lepide, aliquando facete inter se conjunctarum ultro surgit. Denique ea est operis descriptio, ut magna varietas inde natura efficiatur.

Magnus ille Vicarius, a quo Selisius impetravit epistulam, una ea condicione publicandam, si et scriptoris et præsulis, cui missa erat, nomina tacerentur, cum totam Galliam peragraverit, vitiorum optionem habet. Primo curiones in duo genera dividit, unum pauperum, alterum divitum. Non autem fieri poterat ut res diutius ita se haberent. Itaque, a. d. IV Nonas Nov. anni MDCCLXXXIX, quo concilium *L'Assemblée constituante* dictum decreto statuit ut omnia bona ecclesiastica jam in ærarium publicum cederent ea lege ut sacrorum sumptus et sacerdotum cultus publice suppeditaretur, infimus clerus primi voti compos fuit.

« Ce Curé-ci étoit, quand je le vis, occupé à battre du bled dans sa grange, et n'avoit d'autre habillement qui sentît l'homme d'église, qu'un haut-de-chausse noir. Il se plaignit de sa pauvreté, dont l'effet le plus fâcheux étoit qu'elle l'avilissoit aux yeux de ses paroissiens ».

Curioni pauperi divitem curionem opponit. Tabula est summa arte picta et dignissima quæ cum Voltariana pictura [1] componatur :

1. Cf. *Dictionnaire philosophique*, p. 397.

« A une lieue de là il y a une Cure de dix mille francs. Aussi le Presbytère est-il un Palais construit avec élégance, et meublé avec goût. Aussi trouvai-je une basse-cour bien peuplée, un ample colombier, une cuisine remplie de valets, un vaste jardin. On me reçut sous un dais à l'entrée de l'église. Lorsque je m'agenouillai à l'autel, on m'offrit le coussin dont M. le Curé fait usage, et que je refusai. A table un dîner des plus délicats nous fut servi dans des plats d'argent, et le petit Evêque de ces lieux me fit remarquer l'attention polie qu'il avoit eue de n'inviter aucun de ses confrères, tous pauvres diables, dit-il, assez mal mis, et peu présentables ».

Quamvis autem redituum disparilitate inter se differant, fœda munibus fungendi ratione plerique similes sunt. Hic eos SELISIUS tres sub aspectus subjicit.

I. DE INSTITUTIONE CHRISTIANA. — Alius ter quaterve tantum quotannis pueros catechizat. Alius ea de re ludi magistro fidit. Alii denique minime curant. In cathedra, hic nihil aliud nisi euangelium recitat, matrimonia pronuntiat, mortuos memorat; quo facto, descendit. Ille, adhuc juvenis, bellissima, ut admirationem moveat, affectat verba; ille autem, istius elegantis putidique oratoris dissimillimus, cum parochianis familiariter sermocinari solet, seu de propriis rebus suis, seu de privatis eorum tractet, sive etiam de ancilla sua vel supellectile commodata nec reddita loquatur.

Atque utinam curionum istorum præceptiones vulgares tantum essent neque ipsi tam sæpe superstitionum apostoli fierent! Sed cum rusticos deberent et magnorum religionis veritatum pictura movere et in miraculis naturæ, quibus circumdati sunt, præsentem eum Deum docere qui eos creavit atque ab omnibus reverentiam, fidem, bona opera exigit; cum oporteret ut eis Jesum Christum ostenderent a puero parentibus obœdientem, deinde Cæsari reddi jubentem quod sit Cæsaris, connubium instituentem, pro adultera muliere verba facientem, denique adeo benignum, ut vel cruci affixus pænitentem peccatorum salute donaverit; cum opus esset parabolis uti, præceptionibus illis tanta caritate, simplicitate, sublimitate refertis; cum expediret eorum imagines monitionesque et solationes a pastorali antiquorum patriarcharum vita deduci atque rusticis illis hominibus pingi seu NOE propter ebrietatem pudori obnoxium, seu JACOB pecora, ut ipsi solent, custodientem indeque beatum, seu JOB ipsis profecto miseriorem, seu denique ACHAB a Deo castigatum quod pauperis vineam adempserit,

contra de commenticiis Dei miraculis, de scurrilibus legendis, de formidolosis furoribus cum illis loquuntur.

« ... Telle statue de la Sainte-Vierge parle dans l'occasion. Telle pierre sur tel chemin est cause, si on marche dessus, qu'on s'égare. Tel arbre dans le Bois est sacré. Peu s'en faut qu'ils ne fassent autant de Dieux que les Payens, ou qu'ils n'établissent chez nous le culte des Fétiches ».

II. De moribus lustrandis. — Inde significat Selisius parochianorum disciplinam, agendi rationem quam eis curiones scite præcipere debent, benignitatem qua erga eos uti opus est, quamvis multi huic officio desint, immo crudelitatem aliquando exerceant.

« Le curé de Savigny, janséniste impitoyable, ne menace point ainsi [*sclopeto incessere in eos qui lepores in prædiis curiotiis necant*] ses paroissiens de voies de fait; mais il leur interdit tout plaisir. Il n'est point avec lui de divertissement honnête, et la danse, comme vous le concevez bien, est surtout proscrite sans rémission ».

Nec Rosariarum dictarum feriæ, apud hominem sic cordatum, ut est Magnus Vicarius noster, veniam consequi facile poterant. Virtus enim æmulationis causa congrediens, inquit, jam non præmio digna est. Ubi virtus ad humanum finem spectat atque hic finis gloria est, omnia periclitantur. Oportet ut virtus simpliciter agat, nihil appetens, nihil exspectans. Hic lustrat auctor quæ effecerit illud institutum, moribus nocens pluraque vitia concitans, quales sunt inter æmulas versutia et rivalitas, atque in viculis maligni rumores, calumniæ, collationes, cetera : judices quoque parum peritos et parum sinceros esse taceo.

Locis quibusdam firmo penicello descriptis, ut ait Chamfort [1], nonnulli succedunt alii illius Callot graphide digni : sic pinguntur et villares feriæ, et Rosaria cærulea vitta insignis, et convivium a *benefico* domino celebratum, et sollicita virginis verecundia in conspectu urbanarum matronarum, quibus cachinnantibus misellam pudet gloriæ. Quid addam, inquit Selisius, eo usque indecentiæ perventum, ut de rosariis factæ sint cum scænicæ spectandæque tum commenticiæ legendæque fabulæ? Hæc est prorsus gens nostra, aut rectius, talis diutius fuit, ut quæ vanitati perpetuæ, insanabili hactenus futilitati addicta esse videatur.

1. Cf. *Le Mercure de France*, a. d. vii Idus Octobres anni mdccxc.

III. De pauperibus allevandis. — Inter divites nonnulli quidem beneficentissimi sunt, sed quotus quisque miseros non omnino neglegit?

Jam Selisius singulas istorum vitiorum causas enumerat, cunctasque ad tres pariter reducit : prima est prava seminariorum educatio, in quibus nimis multi sunt de theologia tractatus neque ulla appetentiæ aut indolis ratio habetur; secunda, plerorumque curionum pigritia, ignorantia, promiscua cum parochianis conversatio, quæ obstant ne reverenter observentur; tertia, prope omnium rerum inopia, civitate eis nihil fere suppeditante. Deinde, qualis sit potissimum cujuslibet agrestis curionis felicitas, attentius perpendit. Inde pictura fidissima, etiamque hodie pluribus locis justissima, qua recte concipere possumus quam parum modestis illis adjutoribus condicione sua invidendum fuerit.

Iisdem præcipue crimini datur, addit Selisius, » auri sacra fames », idque propterea sane, quod pecunia careant. At plerumque abstinentes sunt et benefici, immo munificentissimi : argumento est quod de Boviorum (gallice Boives) curione refertur. Etenim hoc opusculum grati verique casus narratione conclusum est.

Tres curiones in scænam inducuntur. Cum unus ex iis mortuus esset, huic succedit curio vici cujusdam, in eadem diœcese positi, sed longe distantis. Is, ut vir bonus et jam vicesimum alterum annum parochianis carissimus, hos deserere, quo magis quæstuosum munus consequatur, ægerrime sustinet. Sed, cum episcopus, etiam religionis nomine, imperaret, vacuam curiam vicario suo, virtutibus æque prædito, concedit et proficiscitur. Iter faciens, ad quendam sodalem devertit, a quo ad cenam invitatur. Inter cenandum, pallidum languidumque sacerdotem alium audit lugubri voce narrantem in quantum periculum incurrisset, pro mortuo habitus atque, dum lethargo premitur, inhumatus. Hic erat opulentæ illius curiæ possessor, quam viator invitus petebat. Is autem, magis delectatus quam mærens re illa fortuita, qua pristinis amicis, parochianis carissimis reddebatur, regredi vult, ut in vico, cujus fuerat curio, vicarius fiat. At eum inhibent, obstantque ne proficiscatur. Locupletis enim curiæ dominus jura sua repudiat, in sepulcro relicta contendens. Nihilominus, qui recenti erat titulo designatus, domum redit, ubi pristinus

vicarius, quem amplectitur, curiam libens restituit. Liberaliter iterum decertari. Denique res ad episcopum defertur, qui, trium clericorum virtute et abstinentia motus, depulsum vicarium fertili munere donat, utrumque curionem in suo loco retinet. Tres illi viri, eo tempore quo res narrabatur, adhuc vivebant.

« Hoc novum opusculum, inquiebat CHAMFORT (postquam supra narratum retulit) decori tantum SELISIO esse potest, qui optima Persii translatione pluribusque jucundis operibus, haud uniformi ingenio conspicuis, jam innotuit. Ille est unus ex iis professoribus qui cum eruditione sua excellens litterarum studium, quod apud Universitatem minime rarum est, philosophumque judicium, quod ibidem non satis pervagatur, consociare solent ».

II. — Lettres écrites de la Trappe par un Novice.

(*Paris, Garnery, rue Serpente*, 17, an 1er de la liberté, in-12).

Ex omni tempore religiosi seu virorum seu feminarum conventus scriptores ad derisum incitaverunt. Monachi et nonnæ, tanquam communis scopus, creberrimis epigrammatum telis, iisque malignis, scurrilibus, interdum etiam inurbanis, confodi nunquam destiterunt.

Hæ innocuæ aut sævissimæ contra religiosos insectationes, qui ceterum nihilominus valent, usque ad septimum decimum sæculum continuantur : ita ut satira ista, in media classici ingenii dictatura, inter ultimas salis gallici venas usque permanentes insignem locum merito obtineat.

Mox vero, ineunte duodevicesimo sæculo, hic lusus in odium mutatus est. Jam majore vi impugnant omnes, ipsaque institutio monacha ab imo subruitur: quos si credas, conventus plane depravandorum morum ludus est. MERCIER scriptor, in suo *Tableau de Paris* (anno MDCCLXXXIII), LA HARPE, in suo dramate inscripto *Mélanie ou la Religieuse* (an. MDCCLXX), anathemate claustra turgide plectunt... Denique, pridie Idus Febr. anni MDCCXC, *L'Assemblée nationale* dictum decreto cavet ne ulli jam sint monastici ordines.

Actum perfectumque erat. Attamen, vel anno MDCCXCII et insequente, illa libertas claustralibus hominibus reddita multos adversantes offendebat. Egregii enim viri pariter omnia hæc instituta quovis crimine purgare, sincera fide

ipsiusque philosophiæ nomine, adhuc aggrediebantur. Expostulabant præcipue ut legibus solveretur *Trapa*, cujus nullus inter pios incolas in communem hominum societatem redire voluerat, quo tam multi candidati cum accedere non possent, novissimum condituri domicilium, ingemiscebant, ubi regius princeps, ut ferebatur, ob virtutes honoratus, solitariam habitationem, pæne cellulam, adhuc colere solebat.

Tunc SELISIUS consilium iniit edendi suas *Lettres écrites, etc.*, in quibus cælibem religiosorum vitam insectari, vitia ejus ostendendo, præsertim voluisse videtur. GRIMM enim criticus [1], dum parvi hujus voluminis materiem exponit, compertum habet animadversam esse sæpius, in ea operis parte ubi Novitius sua cum quodam monasterii patre colloquia refert, satis faustam *Provincialium* PASCALII litterarum imitationem : qua collatione nihil SELISIO honestius. Attamen, si quid esset conferendum, præcipue quod ad mores attinet, qua in re hæret SELISIUS, DIDEROTI *Religiosa* potior esset, propterea quod hic auctor res ex elatiore loco cernit, nec plus minus proterva narrando nugatur, cum vera facundia propositum recta persequens. Sed huic alludere critici *Epistulæ* minime poterant, quoniam *Religiosa*, anno MDCCLXX scripta, non ante annum MDCCXCVI exiit. Nec SELISIUS igitur eam commenticiam fabulam legerat ; sed, qualis DIDEROTUS, extra ingenium, talis noster publicum de gravibus cælibatus coacti incommodis rumorem circumferebat.

Novitius ille, secundum solitam SELISII rationem falsis nominibus utendi (ut *viro bono*, *magno vicario*), hic est miles juvenis, nobili Provinciæ loco ortus, qui, per otia domi militiæque sibi relicta, animum æque litteris ac pluribus aliis artibus diligenter excoluerat. Nec theologia quidem ei incognita. Quattuor et viginti annos natus, ordinem pro præfecto legionis assecutus, Theatri Gallici scænicam perdito prosecutus est amore. Postquam pro ea, ut et ipse amaretur, omnia profudit, mane domum ejus ingressus, cum pedisequo suo... cubantem invenit. Ira percitus, fascinatione solutus, peregrinatione suscepta, Trapam forte pervenit.

Quiquid sequitur tantam delectationem affert, quantam aliqua commenticia auctoris PRÉVOST fabula : illam *Manon Lescaut*

1. Cf. *Correspondance*, t. XVI, p. 33-35.

legere pæne credas. Præcipua enim narrationis persona gratissimo dicendi genere, manifesto veritatis sono, lectore potitur. Omnes ærumnas suas et peccata et cruciatus et vicissitudines referendo in animo ejus deponit. Quæcumque autem in religioso illo ordine rigide aguntur, ea hic simplicissime verissimeque repræsentantur. Ac si quid tristius graviusque in illis picturis hactenus inerat, id paulo lenius fit, ubi Ægrorum ministri indoles arcanaque ejus candore detecta ingenue depinguntur. Dum cum eo Novitius colloquens de omnibus ordinis institutis disputat, ipsis ejus argumentis omnis proditur inconstantia illius doctrinæ quam pia ejusdem credulitas defendere gestit. Jam concipere facile est juveni nostro de cunctis istis rebus cogitanti alteram fieri animi mutationem.

Proinde illum gradatim sequamur in *Epistulis ad amicum* missis sua narrantem. Primo, cum Trapam casu fortuito venit, tum monasterium in intima silva, in misera Partici regione positum, neque ulla alia re quam ingentibus nigro colore crucibus ornatum, senioremque venerandum januæ custodem miratus, vero pictoris naturæ studiosissimi ingenio describit, tantam fere artem præstans quantam Bernardinus DE SAINT-PIERRE et Johannes Jacobus ROUSSEAU ostendere solent :

« Environ à une lieue de Saint-Maurice, petit village du Perche, en venant de Paris, on tourne à droite, et une plaine immense, à gauche, se développe sous vos yeux, couverte de hameaux, d'arbres et de moissons. Je remarquai que l'eau y étoit fort rare. Bientôt, il faut quitter cette belle vue pour entrer dans le bois au fond duquel la fameuse abbaye est située. Le long de cette route, pleine de fondrières et de tortuosités, on rencontre de tems en tems des habitations basses, étroites, entourées de haies fortes, véritables cabanes d'où sortoient des hommes, des femmes, des enfans dont l'extérieur annonçoit la plus profonde misère, et qui tous tendoient la main. Cette occasion n'étoit pas la première qui s'offrit à moi de faire de tristes réflexions sur le luxe éblouissant des capitales. Enfin, au bord du chemin pratiqué dans la plus grande épaisseur de la forêt, j'aperçus, à différentes distances assez éloignées les unes des autres, de grandes croix de bois peintes en noir. Ah ! voilà bien comme il falloit indiquer le voisinage de la Trappe... ».

Urgente vero sui colligendi cupidate, nobilis viator cubiculum postulat. Deinde amico Trapanam historiam refert ac de illo conventu ea memorat quæ frustra alibi indagaveris. In illis hæret præcipue, quæ reformavit inclitus abbas DE RANCÉ, cujus

vita elegantior et immoderata tot tamque perniciosa exempla prius prodiderat. Ubi enim innotuerunt rigidi illi mores quibus instituta sua stabiliit, ad eum convenerunt cujuslibet condicionis ætatisque proselyti, præpositi, milites, sæculares presbyteri, aliorum ordinum monachi, opifices, juvenes, senes. Quo quis pravior fuerat, eo carior illi fieri videbatur. Denique in consortium horrendæ istius vitæ ascisci munus insigne vulgo habebatur.

Ceterum ibi neque epulis nec supellectili ciborum appetentia invitatur : adest enim constricta panis sordidi intrita, lentis edulium nullo butyro, nullo sale conditum, cochlearia e novo buxo acrem, fœtidum, importunissimum odorem exhalantia. Omnes edunt oculis perpetuo submissis, nulla tussi, summo silentio. Una auditur fere semper queribunda vox anagnostæ, qui, illo die, sancti Hieronymi vitam recitabat, ubi sanctus ad Romanum quendam amicum scribit : « Perfidas cave DALILAS, quæ te hosti proditurae sunt » !

Paulo post sermo omnes in sacellum cogit. Ibique prædicator omnibus felicitatem gratulatur : quemadmodum enim religiosam condicionem christianæ fidei expletam perfectamqueformam esse, ita et Trapam religiosæ condicionis absolutam speciem.

« Ici, *eos inclamat*, point de relâche jusqu'à la mort ; ici le démon a moins d'empire qu'ailleurs. De tous côtés, il entend les prières et les cris que nous adressons au Seigneur ; par-tout il rencontre la croix de Jésus-Christ. Dieu vous environne de toutes parts dans cette vallée profonde ; rien ici n'est donné aux sens et à la chair... ».

Sed, dum supremo Numini gratias agunt quod tanto ipsos munere donaverit, ne ejus beneficia intra ipsos finiantur, pro iis quos sæculi fluctibus obnoxios reliquerunt, divinam implorare misericordiam pariter debent.

Jam satis multa : requirenti Deo peccator noster non resistet, inferos exspectantes deficiet, in hanc se solitudinem conjiciet, salutem assequetur...

Noviciatum igitur petit (in secunda Epistula). At pater Abbas, modo severus, modo hilaris blandusque, ingentia inter ipsos vivendi impedimenta, atrocem illius ordinis abstinentiam, denique juventutem suam ei objicit : ceterum de re cogitandum, parentes consulendos. Is vero, suorum auctoritatem

fidenter exspectans, Trapæ allegi *vult :* salutem enim suam imperare, cum nulli magis quam sibi secessu opus sit et pænitentia.

Tertia Epistula, parentes tandem annuisse Novitiumque ascitum esse monemur. Itaque, exspectans dum æternis votis devinciatur, immensa perfunditur lætitia. Miro autem mentis errore, interdum libenter sperat fore ut amica sua, cujus amore, quamvis illud neget, intimo in claustro lacessitur, tantæ secum felicitatis particeps fieri possit. Quibusdam quoque desideriis capitur.

In quarta Epistula, ut ejus querelæ majores certioresque fiunt, ita et desperatio. Primo emin queritur quod nullas ab amico litteras acceperit ; forte nuntios interceptos esse ; se tamen refelli velle.

Tum narrat quid Novitiorum magistro confessus sit et quæ hic sibi vitio verterit. Nec nitidius expromi possit quantum excrucietur animus, qui tormentorum sibi ab inferis imminentium timore angitur. Hæc est Dantianæ mentis luxuria, insolitas suppliciorum et dolorum species fingentis, pænas iis luendas, qui extra christianam fidem vixerint :

« Pendant tout le tems que dure l'office, j'entends sortir de la voûte ou des pavés de l'église, des sons lugubres, des avis menaçans, des annonces de mort, telles qu'il y en a dans le cœur d'Alceste ; des cris étouffés et arrivans, je crois, d'un tombeau, comme dans *Sémiramis* ; des gémissemens à travers lesquels on me plaint, on m'appelle par mon nom. Au jardin, dans le cloître, dans ma cellule, des démons hideux avec des têtes de femmes, soit de saintes, soit de comédiennes, se placent auprès de moi, secouent des chaînes, m'entourent de feux, et, feignant de me caresser, m'égratignent et me blessent. Au réfectoire, j'apperçois souvent, et je suis le seul qui l'apperçoive, un monstre qui, derrière moi, verse une liqueur amère, du fiel sans doute et de l'absinthe, dans ma boisson et mes alimens... Ah ! ce récit est trop vrai... ».

Gravibus illis animi perturbationibus penitus coactis (hæc est quinta ultimaque Epistula), cum summa vi contendat ne quid desperationis suæ significetur, valetudo ejus perit, corpus macescit, hebescunt oculi, formosus vultus cavatur. Quodam die, adspecta in limpido rivo imagine sua, attonitus horrescensque exclamat, tristissimus in monasterium redit, cuncta patri Abbati confitetur, qui monitiones ejus nugas, sollicitudines somnia increpat.

Alio die, cum peccatorum, neglectorum, omissorum a sodali ex more insimularetur, insons reclamare audet : piaculum ! Omnes genibus flexi *Miserere* canere. Ipse, hebdomada in cellula cum pane et aqua degere jussus, pudore, dolore, furore clamans, animo deficitur. In valetudinarium translatus, tres hebdomadas inter vitam et mortem versatus, postquam sensibus rursus usus est, patrem Ægrorum ministrum invisit, sexaginta annorum senem, cujus effigiem his describit :

« Ce bonhomme est si borné, que sa piété qui est très grande, ne l'empêche pas de transgresser très souvent sa règle, pour laquelle il a une extrême vénération. Il n'a jamais raisonné ni réfléchi sur rien ; mais il a bien retenu les faits. Son penchant le porte à médire; mais il excuse tout le monde au nom de Dieu. Il s'égaie volontiers, mais alors il expie chacune de ses saillies par un signe de croix. Son plus grand plaisir est de parler, ce que la loi ne lui permet qu'avec les malades et dans les momens pressans. Que fait-il ? il se ment à lui-même de bonne foi ; il trouve souvent que les malades sont en danger, et cette heureuse idée s'étend jusqu'aux convalescens. Après tout, lorsqu'il est tombé dans son péché favori, il fait ce qui lui fut prescrit par son confesseur la première fois, et aussitôt qu'il a trop parlé, il récite un des psaumes pénitenciaux ».

Is, ut vulgo dicitur, « typus » erat. Idem « *remercioit Dieu tous les jours d'avoir peu d'esprit, parce que sans cela il ne seroit peut-être pas resté dans cette sainte maison* ». Nempe Trapa mira quidem institutio re vera erat, qua in domo multi erant sanctissimi viri, inter quos pater Hospitalis primus habebatur. Attamen, fatente ipso Ægrorum ministro, Trapæ non deerant errores et vitia quæ alibi animadvertuntur. Ibi enim non ignota ambitio : si quod forte munus alicujus momenti vacuum fiebat, brevi petebatur, candidatique, ut silendi legem fraudarent, signis loquebantur. Ultio quoque mirifica interdum spectacula ibi ediderat. Quantum vero « immundus spiritus », scilicet profecto naturæ cohibitæ repugnantia, solitarios excruciet, nequaquam animo fingi possit.

Hic, ex ejusdem Ægrorum ministri narratione, SELISIUS duos casus omnino insolitos refert, quos monachus pius dæmonio imputabat.

Prior ad quendam « professum » satis juvenem pertinet, qui nuper de vita decesserat. Intrantes in ejus cubiculum, anteriori conventus aulæ proximum, qua in aula abbatiæ vilicus cum uxore et filia habitabat, mirabundi specula invenerunt duo, ignota origine, quorum alterum cameræ, parieti

alterum oppositum erat. Cum altior murus obstaret ne id, quod tam prope erat, aspiceretur, monachus vitrea illa imagines reddentia ita disposuerat, ut res in superiore pictæ in inferiore ante oculos ponerentur; atque ea inusitata ratione, ut in charta istius generis rebus referta fassus erat, feminarum ultro citroque per villam commeantium visu fruebatur.

Alter casus, in quo pater Ægrorum minister sensuum errorem præstigiumque, scilicet merum dæmonis opus, tantummodo videbat, tum evenerat, cum Trapæ pistor sive molinarius formosam cauponis vicini filiam in conventum insciens introduxerat. Lasciva enim puella, quid esset virorum conventus videndi cupida, plaustrum escenderat, ubi in quodam ex saccis frumentariis vacuo latuerat. Itaque, a nullo aspecta, in dormitorium Patrum decumbentium penetrat, omnium ostia pulsat, cachinnat, lætissime exclamat. Cellulas aperire omnes, attoniti in limine stantes, nonnulli signum sanctæ crucis sibi imprimentes, dum aliquot alii mærentes oculos in gratissima illa specie, sibi adeo portentosa facta, libenter defigunt. Quod si postridie novitius quidam juvenis e monasterio evasit, nullà certe alia causa fuit quam hæc visio, qua cumulatæ sunt eæ tentationes de quibus querebatur.

Qua ex « *galère religieuse* » audaci consilio egressus, post sex menses, Epistularum illarum auctor primam vitæ condicionem repetivit. Mox virginem nobilem, tali marito dignissimam, uxorem ducturus erat. Partim rure, partim in urbe habitans, sortis suæ officiis, devotionis recte sapientis muneribus, innocentibus agriculturæ curis vicissim occupatus, jam se tranquillam beatamque vitam transiturum esse re vera gaudebat, ut qui et suis carus et populo probatus et procul dubio Deo gratus esset, cum continuus languor, priorem morbum natura secutus, cognatis, familiaribus, patriæ, diuturnæ felicitatis spei, Idibus Martiis anni MDCCXC, eum eripuit.

« Illud opusculum, perorat in sua Epistula criticus GRIMM, SELISII est, quem jam notum fecerunt et Persii *Satiræ* rectissime translatæ et aliquot alia scripta, ad mores litterasque spectantia, quibus omnibus auctoris benignus animus justumque judicium pariter pinguntur ». Ejusmodi utique est opus illud, cujus materies, si non faustissima est, gratissimis saltem rebus legentem sæpe devinciat.

CAPUT V

DE SELISIO PÆDAGOGO:

I. — Oratio ad inaugurandam viæ Antoniæ Scholam habita.

(Ex *La Décade philosophique*. Paris, an VI, 3e trim., p. 205-215).

SELISII orationi duæ sunt partes. Priori propositum est ea refellere quæ ab ignaris et malevolis hominibus contra Scholas Centrales objecta sunt, atque jam probatos novæ illius institutionis successus exponere, qui successus tot adversas res, tot prædicta animos frangentia, tot tantaque omnis generis impedimenta superaverant. Altera pars iis rebus indicandis addicta est, quas professores, duorum annorum experientia moniti, merito sperare potuerant se postea perfecturos.

Disciplinarum autem summa in Scholis Centralibus novem studiorum genera seu auditionum series continebat. In illa SELISII oratione cernere expedit quam lucide prudenterque necessariam horum generum conjunctionem demonstret, quam diligenter explicet quo ordine eadem discipulis sequenda esse censeat. Neque in iis commorabimur quæ malevolentiæ captiunculis firme libereque respondet. Alii prioris hujus partis loci, enuntiando quid illarum scholarum labores effecerint, quam justa fuerit oratoris argumentatio simul factis comprobant.

Nos piget minoris spatii quam ut singula cum oratore memoremus eaque perpendamus quorum in altera parte additionem rogat. Sed cujusdam casus sine ulla vi adducti, per quem a gravitate disputationis utiliter deflectit, brevissimum locum non libentissime referre minime possumus. De corporis exercitationibus agitur, quas necessarias esse SELISIUS civis audientes jam admonuit; quapropter inter se opponit cum mordacem eorum ludorum descriptionem per quos aliquot juvenes divites in hortulis RANELAGH hodie dictis, circumsedente utriusque sexus spectantium corona, cursoria pugnæ simulacra prave præstabant, tum jucundam vividamque eorumdem ludicrorum rite cultorum narrationem,

quibus ludicris in collibus Arcoliensibus, in vallibus Bostroniis, in arido magni Montis-Rubri campo vel in aliqua Vicennarum ambulatione memoria sua discipuli exercebantur.

« O temps de ma jeunesse ! O bienheureuse pauvreté ! Nous avions moins de faste, mais nous courions mieux...

« C'est à ces jeux que j'ai connu dans leur adolescence des écoliers pleins de talent et d'ardeur, qui depuis se sont illustrés dans les lettres, le bon Auger, le sensible Letourneur, l'ingénieux Barthe, le mélancolique Colardeau, et Delille qui ne songeant déjà qu'à façonner de beaux vers, étoit souvent fait prisonnier au moment qu'il alloit tenir une rime, et Thomas qui nous animoit de sa voix oratoire, et Chamfort qui railloit les vaincus ».

Hujus commemorationis tenerum gratumque affectum nemo nimii faciat, quæ animum eo magis movet, quod ex omnibus illis viris litterarum arte præstantissimis immatureque vita defunctis unus tunc supererat, Delille. Facile percipitur quantum insit grati, acuti, veri in lineis illos adulescentes singulos designantibus, scilicet studiorum consortes adeo graphice in illa pictura glomeratos. Reminiscitur orator primos amicos suos in iis ludis, quibus adulescentes gavisi sunt, tales jam fuisse, quales postea in iis laboribus fuerunt, quibus viri honestati sunt.

Attamen in commemoratione omnium nominum illorum eodem congregatorum nonne quædam inest poetica licentia? Nonne propter meram amicitiam Selisius illos sodales in communi cursus ludicro ita consociat ? Namque et Auger, anno mdccxxxiv, et Letourneur, anno mdccxxxvi natus, Selisio quidem, anno mdccxxxvii nato, colludere potuerunt ; item Barthe, anno mdccxxxiv natus, quamvis Massilia paulo serius discesserit. Sed jam Colardeau et Thomas, anno mdccxxxii nati, quinque annis Selisio majores erant. Præterea Colardeau, Janivilla, ex Belsia regione, ortus, a quodam Pitueris Castri curione educatus, tum demum apud quendam regium quæsitorem Lutetiæ collocatus est ; Thomas autem in collegio Plexitiensi didicit, dum Delille, anno mdccxxxviii natus, in collegio Lexoviensi studet. Num igitur adulescentes illi extra scholarum horas, ut externi discipuli, eodem conveniebant ? Chamfort vero, anno mdccxli natus, novem annis quam Colardeau et Thomas, minor erat : puerumne novem annorum victis sodalibus partim viginti, partim octodecim annos natis illusisse !

Quidquid id est, in illa SELISII oratione, ut critici libenter confessi sunt, compositionis industria cum judicii firmitate conjungitur, quas virtutes præstantissimorum ingeniorum dotes esse constat ; insunt quoque utiles sententiæ cum humanis affectibus feliciter commixtæ, quæ laus cum materie peculiariter congruit ; denique vigent et purum dicendi genus et elegantia et jucunditas sermonis, « quibus agnoscitur unus ex illis scriptoribus qui optimis et saluberrimis, scilicet classicis litteris adhuc supersunt, quorumque contingit ut nonnullis munus publice tributum sit earum artium principia et antiquos usus nascentibus sæculis tradere ».

II. — Lettre à M. de La Harpe sur le Collége de France. (*Paris, C.-J. Gelé, imprimeur de la Gendarmerie Nationale, rue de la Harpe, n° 173* ; brochure in-8, à 12 sols, 1792. — *Iterum edita in* Nouveau Supplément au Cours de littérature de M. de La Harpe. Paris, 1818, in-8). — **Réponse de La Harpe à Sélis.** — (Cf. *Le Mercure de France*, Supplément au n° 12; 12 janvier 1793 ; — Nouveau Supplément. etc.).

Cum, illis temporibus, plurima esset cura de reformanda publica bonarum artium disciplina, LA HARPE, in Lycœo[1] recenter creato professor, sententiis novarum rerum studiosis jam notus, januarii mensis anni MDCCXCI diario *Le Mercure de France*[2] novum instituendæ doctrinæ propositum inseri jussit, in quo de Gallico Collegio agebatur, scilicet de ludo per se pulcherrimo, inquiebat, et qui FRANCISCO PRIMO conditori decori esset, sed qui, sicut tot alii, ob neglegentiam et vitia omnibus iis, quæ ab absoluta potestate emanant, communiter inhærentia, multo infra finem suum mansisset.

Hoc Collegium, addebat La HARPE, ab Universitate sejunctum, quale nunc est, nihil aliud fere nisi quendam litterarum luxum inter alia Urbis ornamenta præstare videtur. Ejus cathedræ, quarum plures a præstantissimis viris obtinentur, horum laboribus præmia magis præbent quam omnium

1. Hæc erat privata liberaque institutio, litteris et scientiis docendis destinata, quam munifico sumptu PILATRE DE ROZIER condiderat (MDCCLXXXVII). Eadem postea, mutato nomine, *Athæneum* nuncupata est. Ibi quoque SELISIUS professus est cum multis aliis doctissimis viris, quales fuerunt FOURCROY et CHAPTAL.

2. Cf. *Le Mercure*, p. 178 : *Plan sommaire d'une éducation publique.* — Vide etiam *Cours de Littérature*, ed. POURRAT, t. XVIII, p. 360 sqq.

utilitati prosunt[1]. « Omnia enim intra aliquot horas singulis hebdomadibus scholæ addictas finiuntur, quæ etiam sæpe desunt, sive magistri absint, sive discipuli deficiant. Sunt quoque cathedræ quæ mihi otiosæ esse videantur, nec aliter conditæ sint quam per gratiosas compositiones magistratuum imperitorum cum ineptis veteratoribus. »

Illo scripto Selisius, jure an injuria, se petitum esse arbitratus, per epistulam repugnavit, quæ libelli forma exiit (anno MDCCXCII) cum hac sententia a Tullio excerpta :

An quia disertus es, nos pereamus ?

« Votre autorité, *ad civem* La Harpe *scribit*, surtout en matière de goût et de littérature, est si importante que je n'ai pu lire, sans inquiétude, dans *Le Mercure* de janvier 1791, n° 5, l'article où, entr'autres réformes que vous croyez convenable de faire subir au collége (ci-devant royal) de France, vous proposez de supprimer la chaire de poésie ancienne que je remplis depuis quinze ans, à la place de M. l'abbé Delille ; honneur périlleux que mon attachement éprouvé pour lui a pu seul me faire accepter. »

Jam procedente epistula, Selisio propositum est primo perpendere quæ sit poetici ingenii natura et nonnulla e pluribus argumenta afferre, unde probetur quanti semper apud homines id ingenium factum sit ; deinde antiquæ poeticæ professoris munia describere, summatim comprehensa et talia quidem, illud fatendum est, qualia conditor ipse ea concipere debuisset ; denique recta disceptare de quodam errore ad factum pertinente, quem sane vitare adversarius non poterat, et de una illa contradictione ad quam se artavit. Concludendo pauca breviter animadvertet de quibusdam aliis quæ abolenda esse censet criticus, quibus sublatis ipse contra nec Collegium Gallicum nec vulgus ideo quicquam profecturum esse arbitratur.

Primo quidem, cum nunc poesis fere spreta et neglecta sit, ut rursus cultores fautoresque habeat, quid sit ipsa, ostenden-

1. Erant tunc in Collegio Regio septemdecim cathedræ hoc ordine in *Almanach Royal* enumeratæ: *Pour l'Arabe. — Pour le Grec. — L'Eloquence latine. — Poésie. — Littérature françoise. — Géométrie. — Astronomie. — La Physique expérimentale. — La Physique. — La Médecine pratique. — L'Anatomie. — La Chimie, — Histoire naturelle. — Le Droit de la Nature et des Gens. — L'Histoire et la Morale. — Mathématiques. — Chaire royale d'hydrodynamique.* — Iis omnibus regendis et custodiendis præpositus erat minister quidam *Inspecteur* vocatus : Delande. Interque lectores et professores regios eminebant viri, quales : *J.-B.* Gail, Ch.-F. Dupuis, A. de Cournand, de la Lande, Le Monnier, Daubenton, Bouchaud et abbas Bossut.

dum est. Primum autem poetici ingenii signum, quod fertili mente simulque facundia signatur, inventio est, quam sequi debet ratio pariterque morum reverentia. Debent enim poetæ, ut ait Flaccus, *prodesse et delectare.* At quanto in pretio, apud veteres et recentiores, a regibus et optimatibus et multitudine etiam, omnes semper habiti sunt !

« N'en doutons pas, *inquit ;* au sortir de la crise où se trouve la France, et lorsqu'on se sera embrassé, le premier sourire de la nation tranquille sera pour les poëtes, qui n'attendent qu'un signal d'encouragement pour recommencer leurs concerts et ressusciter tous les genres. »

Amplis deinde lineamentis professoris munia depingens :
» ostendere, inquit, quid sit, quid velit poesis, quid diver-
» sum, quid simile, quid affine genera inter se habeant ; leges
» et primas absolutasque earum (legum) causas, exceptis
» excipiendis, describere ; res ad artem pertinentes ab
» Hebræis ad Anglos Germanosque usque referre ; elocutionis
» singula quæque penetrare, orationis arcana, sententiarum
» verborumque figuras explanare ; præcepta lente, exempla
» concitate recitare ; interrogantibus quæsita statim respon-
» dere, audientes vicissim interrogare : si quis omnia hæc
» ceteraque hujusce modi comperta habuerit, is quoque satis
» noverit quidquid ingenii, peritiæ, diligentiæ ab illa institu-
» tione requiritur, ac quantum prosit existimare poterit ».

De scriptoribus interpretandis, recentioribus favet in publica disciplinarum proposita inducendis, ea tamen lege ut primæ partes veteribus reserventur.

Civi quoque La Harpe placebat alimentarios discipulos in Collegium Gallicum recipi. Cui Selisius irridens :

« Ce ne sera donc plus qu'un collége ordinaire, *inquit.* Il y aura donc là encore un principal ou grand-maître ou proviseur, et des sous-principaux, et des préfets, et des sous-maîtres ? Il y aura donc une cloche !... Vous n'aurez personne, vous dis-je, ou vous aurez tout au plus quelques pédans précoces... Adieu les études volontaires et gratuites... Adieu le Collége de France ! »

Professorem vero de industria docendique ratione, de rebus præcipiendis, de audientium frequentia, abhinc plus viginti annos multum abest ut vulgus queratur, nec professores magis dolent.

« Que puis-je dire encore, sinon que vous n'avez, je crois, jamai entendu, encore moins suivi, aucun des maîtres actuels. Venez, venez, il n'y a que moi qui doive redouter cette épreuve. Le Collége de France n'est point dégénéré, Monsieur, et il est digne de ce siècle ».

Ita compellatus, LA HARPE SELISIO non respondere minime poterat. Respondet igitur, et lepidissime, adversarium laudando ; quæ tutissima vincendi ratio fieri solet. Nec minus mirandum facinus, ut scriptoris quamlibet vituperationem ægerrime ferentis. In responso, LA HARPE, se revera dixisse quamprimum fatetur, esse in Collegio antea Regali dicto quandam poeticæ latinæ cathedram aliamque latinæ eloquentiæ, quarum finis nullus unquam alius fuerit nisi latinos poetas oratoresque interpretari ; seque arbitratum illud parum expedire, propterea quod ii, qui Ciceronem Vergiliumque intellegere adulescentes non didicerint, non illinc cogituri sint ; quare se in suo *Novo disciplinarum Proposito*, abhinc fere duodeviginti mensibus publicato, cathedras illas abolendas censuisse. Atque hæc addit :

« SELISIUS civis, meus in Lycæo collega meique sodalis
» DELILLE in eodem illo Collegio antea Regali dicto vicarius,
» sententiæ meæ in hac epistula adversans, institutionem
» defendit quam a me *sine causa* exagitatam esse asseverat.
» *Sine causa* ! brevi dictum est. At quam ego attuli causam,
» ea non adeo infirma erat, quippe quæ ab adversario minime
» refellatur. Hic enim longe aliter agit. Ficta descriptaque qua-
» dam antiquæ et recentioris, patriæ et peregrinæ poeticæ cathe-
» dra, Hebræos primo, postremo Germanos, omnium denique
» gentium poetas rite sapienterque enucleandos censet, plu-
» raque etiam. Quis autem tot tantaque in una poeticæ latinæ
» cathedra contineri suspicatus esset? Profecto neque DELILLE
» professor nec quisquam superiorum de hoc unquam cogi-
» tavit. SELISIUS vero civis nobis fatetur se, ex quo DELILLE aca-
» demicum excepit, amplissimam illam docendi rationem esse
» secutum... Multum abest ut obstem ne qui illius generis ab
» eo propositi ludus aperiatur, ac si ideo tantum scripsit,
» ut se ad munus professoris illic fungendum tam idoneum
» quam quemvis alium esse comprobet, primus ego ei suffra-
» gari paratus sum ».

Item de latinæ eloquentiæ cathedra. Quam si abolendam,

ut ait, censuit, eam tantum designare profecto voluit, in qua nihil aliud quam auctores explicarentur. Non modo non postulavit ut eloquentiæ schola clauderetur, sed classem ejusmodi aperiendam contra proposuit, qua sua studiorum disciplina finiretur: eam enim futuram omnium doctrinarum prius paratarum consequentiam, oratoresque patriæ informandi finem habituram, antiquæ et recentioris eloquentiæ arcana exemplariaque discipulos penitus docendo.

Atque responsum suum his verbis breviter concludit, quibus omnia conciliari videntur, quæ saltem SELISIUM litteris excellere testantur:

« Hæc epistula aliquot alias rogationes pariter refellit, auc-
» torque eandem ubique rationem sequitur: ad ea, quæ agi
» et possent et deberent, impetu devertit, ita ut mecum
» reipsa consentiat, qui de iis tantum, quæ non agebantur,
» locutus sum ; ita ut, ad summam consequentiam, hoc opus-
» culum nihil aliud nisi ea confirmet, quæ superioribus ejus-
» dem censoris operibus jam probata erant, scilicet lepidum
» ingenium et liberales doctrinas eum hominibus nostris litte-
» rarum peritis ascribentes ».

CONCLUSIO

Quoniam illius poetæ, litteratoris illius ad honestissima elegantissimaque munera evecti, minus amplum, tamen multiplex opus prosecuti sumus, nunc forte idem pro dignitate existimare nobis facilius erit.

Ejus poeticum *de Legione fulminante* periculum, morum satira *Sanæ mentis Inoculatio* dicta, famosus de Voltario libellus, animum excultum, gravem, ad summas res tractandas idoneum ostendunt. Quidam *Epistularum*, sive ad Gressetium seu *de Pædagogis* scriptarum versus, ea prænuntiant, quibus posterius parere poterit levis libenterque aculeata ejusdem musa. Quidam alii *Epistularum de variis rebus*, quamvis prolabentem redolentes poeticam, ætatis viribus adhuc pares atque eo impressi colore sunt, qui non recte nisi lepido venustoque ingenio inducitur. In omnibus ejus *Epigrammatis* festivissima eminet malitia. Nec tam ultimis verbis iisdemque, ut fit, mordacissimis, quam callidissima hæc inducendi arte apud eum commovemur, omne acerbitatis virus per totum poematium stillatim evomentem, quod deinde miserum hostem uno potu haurire cogit, quasi debellaturus. Sed præsertim in Persii *Satiris* gallice vertendis, quam firma disciplina in collegio Montacutensi excultus esset, scite comprobavit, qua educatione nulla prorsus alia, pariter antiquis auctoribus optimisque litteris unice fulta, præstantior excogitari possit.

In illa autem quam secundam operum ejus partem vocare liceat, *Epistula de minoribus Spectaculis* eundem sincerum rigidumque vivendi præceptorem fuisse patefacit, qui nequaquam instituti sui severitate discesserit, quamvis a civitatis forma, cui primo faverat, palam defecisset, ut novam rei publicæ constitutionem ardenter acciperet. *Epistula de rusticis Curionibus* et *Epistulæ a Trapa scriptæ* eum simul in affectibus apte religiosis perseveravisse, et recentioribus sententiis, ut vitia gradatim emendarentur, flagitantibus studuisse quoque comprobant.

Prosæ scriptor, præstantissimis præditus est dotibus, præcipue patriis, quibus ætas nostra nunquam valedicet, scilicet luciditate et diligentia, plenitudine et robore. Argute quidem dicta appetit, quæ diu fuit communis omnibus duodevicesimi sæculi auctoribus affectatio, cum inde iis, quibus multitudo conscia egregie præter cetera studebat, satisfacere conarentur ; sed, excepto privato conamine et more universo, ejus argutiæ ratione tantum salsa hilarique plerumque oriuntur.

Poeta, si ad sublimia non elatus est, tamen nonnullas ex optimis veterum artibus servavit, eas scilicet quæ, post BOLÆUM, in poeticam nostram in perpetuum penetraverunt, adversus quas libido et licentia frustra pugnavit, quarum opera denique excellentis prosæ dotibus brevitatis et numerorum vis additur. Quod si eum cum magnis septimi decimi sæculi exemplaribus conferri non posse manifestum est, non minus constat eundem a sexcentis istis duodevicesimi sæculi perurbanis scriptoribus secernendum esse, quorum unica laus erat quædam versus mediocriter tornandi ratio innumerosque faciendi lyricos, scænicos, amatorios, descriptivos, philosophos, re vera aut specie morales. Ab istis enim differt et mente et manu, quæ nec mollis nec laxa est. Versificatio ejus, non modo non neglecta, neque epithetis inutilibus aut verbis inaniter redundantibus aut exilibus vulgaribusque homœotelentis referta, sed facilis, ornata, propria, emendata, sententias vestit si non novas, certe recentes. Nec mutuatur, nec prædatur. Neque est, ut ait VOLTARIUS, istorum « corvorum de paucis superioris sæculi cycnorum pennis, quas surreptas atris caudis suis utcumque aptant, inter se depugnantium [1] ». A CREBILIONIBUS et VOLTARIIS, et J.-B. ROUSSEAU et FRANCIS DE POMPIGNAN et pindaricis illis LEBRUN longe sistans, GILBERTO et DUCIS et DELILLE et GRESSETIO propior est. In eo sæculo, quo non magnus poetarum, vel minorum, proventus afferebatur, minime spernendus erat SELISIUS : ejus enim exstant monnullæ ampli et pæne grandis numeri strophæ, quæ « Libitinam vitabunt ».

Apud SELISIUM maxime commovemur artibus variis, mente

1. Ex Epistula ad BELOT a. d. IX Kal., Apr. anni MDCCLX data. Cf. *Lettres inédites. Supplément*, t. I., p. 547.

supra fidem strenua, indole peculiariter lepida. Summa ejus cupiditas, inexplebile cognoscendi studium. Cum professoris munibus nihil detrahere vellet, ut suo famæ ardori indulgeret, noctium partem discendo consumere cogebatur: quo labore improbo vitam minuit.

Qui supremis ejus laudibus orationem habuit, benevolentiam quoque et christianam caritatem prædicavit. Nec dubium est quin et ii, quibus illo magistro uti contigerat, constantiæ mansuetudinique et benignitati erga discipulos, quorum eximius erat arbiter, testimonium omnes ad unum reddidissent. Addebat laudator Gail omnia scripta ejus merito quidem vigere, sed pluris etiam esse rectum liberalemque et sincerum scribentis animum.

Ad summam, Selisius ætatem suam ejusque mentem fideliter ipse per se repræsentat. Præsentium rerum sensu præditus dicit potest. Ut verbis utar recentissimis, repercussum æqualium suorum « animi habitum » exprimit. Post incredibilem centum annorum oblivionem, si opera ejus in notitiam venerint, sperare licet fore ut posteri, qui recte sapere solent, Selisium in honestissimo litteratorum et criticorum ordine ponendum esse censeant. Ubique enim et philosophum eloquentem et pictorem peritum se præstat. Denique, quicquid præclarus animus ingenio cum doctrina conjuncto addere potest, quicquid patientiæ et conatibus a natura impetrare conceditur, id exemplo suo indicat. De paucis erroribus, de quibusdam sententiis paulo licentius sumptis, præsertim in Voltarium et philosophos, quamvis Voltarii discipulo et amico magis quam cuiquam impie dictum clamitare fas esset, disputabitur equidem. Sed istæ mendæ, opus tam multa maxime miranda continens leviter maculantes, non prohibebunt quominus totum auctori famam æque stabilem atque honestam præparet. Eorum est Selisius, qui, duodevicesimo sæculo, litterati viri titulo plurimum decoris attulerunt.

APPENDIX

I

La Petite Chienne

« Quoi ! tout un jour je suis abandonnée,
(Disoit un jour Favorite étonnée),
Nul duc n'a demandé si je me portois bien !
Nul ministre nouveau, nul ministre ancien,
Pour courtiser ma puissante maîtresse,
Ne s'est extasié dans un long entretien
Sur mes talens et sur ma gentillesse !
Aucun académicien
N'a fait de vers à mon adresse !
Je n'ai point aujourd'hui vu la moindre princesse,
Et Bonneau ne m'a pas ici conduit de chien... » !
Qu'avec raison elle étoit agitée !
Le matin même de ce jour
Celle qui la mit à la cour,
La Montespan l'avoit quittée.

(Grimm, *Correspondance*, t. XV, mensis martii, anni MDCCXC, p. 591).

II

La Consolation

Un malheureux réduit au désespoir,
Et faute de chaussure étendu sur la terre,
S'écrioit : Hélas ! peut-on voir
Un pareil excès de misère !
Lors, par hasard, au milieu du chemin
Il aperçoit un homme hors d'haleine :
Que dis-je homme ? C'étoit une moitié d'humain,
Un tronc vivant qui se traînoit à peine,
C'étoit un cul-de-jatte enfin,
Lequel, voyant cet autre et le trouvant ingambe
Lui dit : Ami, sois sage, et croi
Qu'il est des gens plus à plaindre que toi :
Tu n'as pas de souliers, moi je n'ai pas de jambe.

(*Nouvelle Encyclopédie poétique* ou *Choix de Poésies dans tous les genres* a Capelle editum. Parisiis, anno MDCCCXIX, p. 50.

III

Le Vieillard sorti de Prison

Victime de la calomnie,
Chrémès, dans l'hiver de ses ans,
Par l'ordre du tyran d'Athènes, sa patrie,
Est arraché du sein de ses parens,
Est séparé de ses amis pleurans,
Et conduit avec barbarie
En un cachot loin de l'œil des vivans.
Dans cette odieuse demeure
Le monstre veut qu'il vive en proie à ses ennuis.
Il vécut, ou plutôt il gémit jours et nuits,
En désirant sa dernière heure.
Enfin pourtant il se fit à ces lieux :
Il lisoit, il prioit les dieux ;
De vers plaintifs il chargeoit sa muraille;
Il chanta quelquefois même des vers joyeux.
Et ce fut lui dont l'art ingénieux
Fit le premier étui de paille.
Mais le tyran n'est plus : il périt à son tour.
Chrémès, vous êtes libre après trente ans de peines;
Allez revoir le jour,
Allez revoir Athènes.
Il sort pour gagner son logis :
Mais quelle est sa surprise extrême !
Le voilà, grâce au temps, nouveau dans son pays ;
Tout est changé, bâtimens, gens, habits;
Il ne peut plus trouver sa maison même.
— Où sont mes neveux, mes cousins ?
Qu'est devenu mon tendre frère ?
— Tous ont terminé leurs destins.
— Où chercherois-je, en ma douleur amère,
Mes condisciples, mes voisins,
Et celle qui me fut si chère,
Et ces amis au cœur sensible et bon,
Et mon vieux serviteur, mon pauvre Parmenon ?
— Ils sont morts. — Ainsi donc je suis seul sur la terre ?
Ramenez-moi dans ma prison.

(*Nouvelle Encyclopédie poétique, etc.*, p. 277-280.)

IV

La Syrène et le Passant

LE PASSANT

Que fais-tu sur les bords de cette onde tranquille,
Et quel objet charmant tient ton œil immobile ?

LA SYRÈNE

Dans ce limpide et fidèle miroir
J'aime à me contempler, j'admire ma figure,
Et je rends grâce à la nature,
Qui d'attraits enchanteurs se plut à me pourvoir.

LE PASSANT

Monstre équivoque et vain, ta queue, horrible à voir,
Contre un si fol orgueil devroit te mettre en garde,
Et te réduire au désespoir.

LA SYRÈNE

Crois-tu donc que je la regarde ?

(*Mémoires de l'Institut National des Sciences et Arts. Littérature et beaux-arts*, t. II). Vicesimo tertio die fructidori mensis (quinto Reipublicæ gallicæ anno) recitatum.

V

Selectæ commenticiæ Narratiunculæ, e variis eclogis excerptæ

Quarum tantum exstant tituli, scilicet : *Le Prince Désiré. — Les trois épreuves. — Les Souhaits. — Ardostan. — Roxane. — Nirzah. — Rozaldab. — Nahamir* vel *La Providence justifiée. — L'Aveugle et son chien. — Jupiter justifié. — Les Ames. — Le Songe merveilleux. — Féradir. — L'Epreuve* vel *Améïde.*

(Notula scripta, quæ in *Instituti Memorialibus* hoc indicio signatis reperta est : T. XXXV. MDCCLXXXVI.)

VI

Epistula facete ad Labeaumelle scripta.

Mon ami,

Je vous écris pour vous apprendre que je ne vous hai plus. Vous devez me croire, parce que je viens de me convertir. Soyez persuadé qu'actuellement je souffrirois, sans me fâcher, toutes sortes de mauvais procédés de votre part.

Vous pourriez, si vous le vouliez, vous permettre les plus grandes noirceurs, forger contre moi des calomnies atroces, dignes de l'exécration de tous les honnêtes gens ; attaquer mon honneur, mes mœurs, ma religion et mes ouvrages, dans une foule de libelles aussi plats que méchans ; me dérober mes manuscrits, les faire imprimer à votre profit, y ajouter des absurdités et des horreurs, et me les attribuer, sans que je me plaignisse de rien. Je n'ai même jamais été bien sincèrement fâché que vous m'ayez pris ma *Pucelle d'Orléans,* et que vous l'ayez donnée au public. Cela a dû vous rapporter beaucoup. Je ne voudrois pas que, pour sceller notre réconciliation, vous m'offrissiez quelque part du gain.

A la vérité, cette proposition seroit aussi noble qu'équitable ; et vous sçavez que j'ai une famille nombreuse ; que j'entretiens une multitude de gens, tant Artistes que Poëtes ; et que je nourris gratuitement plusieurs neveux et plusieurs nièces de nos bons Auteurs ; mais je ménage, je suis économe, et d'ailleurs vous pouvez avoir besoin d'argent, à présent que vous sortez de la Bastille, où vous avez été deux ans entiers.

Voltaire.

(Ex *Relatione* de Voltarii morte excerpta).

VII

Epistula ad *Journal de Paris* missa.

Paris, ce 26 vendémiaire, l'an 4ᵉ de la République françoise, une et indivisible.

Citoyens, je n'ai point sollicité, je n'ai pas même désiré l'honneur que vient de me déférer le Comité d'Instruction publique, en me nommant professeur de poësie au Collége de France. Je sens tout le prix de cette bienveillance. Je connois toute la difficulté de ma tâche; heureux si je puis rendre un peu utile la dernière époque de ma vie, et si l'on ne me renvoie pas à ce conseil d'Horace, que j'ai tant de fois expliqué aux autres : *fais sortir de la carrière le coursier qui vieillit.*

Quoi qu'il en soit, j'espère que mon emploi sera de courte durée; je le souhaite ardemment, et mes nominateurs se réjouiront, autant que moi, si ce vœu est exaucé. Aussitôt que le citoyen Delille rendu à sa santé, à ses pénates de Paris, au calme dont il a besoin, pourra remplir lui-même ses fonctions, j'applaudirai à son retour; je descendrai de sa chaire, et je l'y replacerai de mes mains. Titre, droits, émolumens, je lui rendrai tout. Le Virgile faançois ne sera pas obligé de se plaindre dans une *Eglogue*, qu'un barbare se soit emparé de son champ et de ses moissons.

Salut et Fraternité,

SÉLIS, *professeur de poësie au Collége de France.*

(*Journal de Paris*, die undetrigesimo vindemiarii mensis, anno Reipublicæ gallicæ quarto).

VIII

Funebris Epistula ab Instituto missa

Citoyen,

En exécution de l'arrêté que l'Institut national a pris dans sa séance générale du 5 frimaire an 7, vous êtes prévenu que les funérailles du citoyen *Sélis,* membre de l'Institut national, décédé rue *St-Jacques, nº 68,* se feront le *30 pluviose* de l'an *10,* à *une* heure très précise.

Cette fixation est de rigueur.

Nota. — La réunion se fera au lieu des assemblées ordinaires de l'Institut à midi précis. Il y aura quatre voitures à la disposition des trois Présidens, des trois Secrétaires les plus anciens en fonction, des six Membres les derniers élus et de la section du défunt. Ceux de ces Citoyens que leurs affaires empêchent de se rendre aux funérailles, sont invités à se faire remplacer par des Confrères qu'ils choisiront et préviendront à temps.

Il y aura d'autres voitures en nombre suffisant pour ceux des Membres non désignés ci-dessus qui assisteront aux funérailles.

(Sic inscriptum : « Au citoyen *Huzard* de l'Institut national des Sciences et des Arts, rue de l'*Eperon-St-André-des-Arts*, nº 11, à *Paris.* » — *Mémoires de l'Institut. Supplément.* T. IX, ab anno nono ad annum dicimum. *Typis mandatum*).

IX

Funebris Epistula a cognatis missa

Vous êtes priés d'assister aux Convoi, Service et Enterrement de Monsieur Nicolas-Joseph Sélis, Membre de l'Institut National, Professeur-Suppléant de Poésie Latine au Collége National de France,

et Professeur de Belles-Lettres à l'Ecole Centrale du Panthéon, décédé Maison du Prytanée, rue St-Jacques, n° 68; Et aux Cérémonies Ecclésiastiques et Funèbres qui se feront à *onze heures très précises du matin* ce 30 Pluviôse an 10, ou 19 février 1802 (v. st.), en Eglise de St-Benoît, sa Paroisse.

De Profundis.

De la part de Madame sa Veuve, de Messieurs Sélis, ses Frères, de Madame Laporte, sa Tante, de Monsieur et Madame Guenard, ses Neveu et Nièce.

De l'Imprimerie du Bureau de Deuil, Cour de la Sainte-Chapelle, n° 22, en activité depuis Vendémiaire an 9.

Sic inscriptum : « A M. Broussonnet, rue de l'Eperon-St-André-des-Arts n° 110 ». (*Mémoires de l'Institut. Supplément.* T. II, ab anno MDCCXCIX ad annum MDCCCXXIV. *Typis mandatum*).

VIDI AC PERLEGI,
LUTETIÆ PARISIORUM, IN SORBONA
a. d. XIV *Kal. Apr.*
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,
A. CROISET.

TYPIS MANDETUR :
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX

LIBER I

DE SELISII VITA

LIBER II

DE SELISIO SCRIPTORE

PARS PRIOR

DE SELISIO POETA

CAPUT PRIMUM

De quodam cyclici generis poemate :

CAPUT II

De Satiricis Epistulis :

CAPUT III

PARS ALTERA

DE SELISIO PROSÆ SCRIPTORE

CAPUT PRIMUM

De Selisii translatore :

CAPUT II

De Selisio famosorum libellorum auctore :

CAPUT III

De Selisio virtutis magistro :

CAPUT IV

De Selisio morum reformatore :

CAPUT V

De Selisio pædagogo :

AMIENS. — IMPRIMERIE PICARDE.